LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS
Emblems
222.4092
Ar41d
1632

L 4

HENR: WHITE,
LICHFIELD:
MAII XXIII°
MDCCCXIX.

OMNIVM

VIRTVTVM CHRISTIANARVM,

EXEMPLO DAVIDIS, PASTORIS, MILITIS, DVCIS, EXSVLIS ac Prophetæ longe præstantissimi nobis adumbratarum

SPECVLVM PVRVM AC PELlucidum, omnibus & singulis piè ac Christianè vivere volentibus perutile ac necessarium:

Quod etiam

FIGVRIS ÆNEIS PERPVLCHRIS AC artificiosis adornatum

AVTHORE

B. A. M.

Impensâ GVLIELMI FITZERI Bibliopolæ Angli.

ANNO M. DC. XXXII.

Emblems
222.4092
Ar4id
1532

ILLVSTRI DOMINO
GVLIELMO CHALONERO EX HONORABILI ORDINE BAronettorum.

CVm plurima & singularia, ab Illustri Tuâ Dignitate in me meosque hactenùs collata beneficia recensere nimis longum foret, tantum in genere dixisse sufficiat. Ego interea, ne ingrati nomen, quod alioqui me, & iure quidem, maneret, mihi ferendum sit, de remetiendâ aliquo modo gratiâ, diu multumque cogitans, commodiùs quod se hocce tempore obtulisset, nil vidi, quàm si Tractatum hunc, Speculum virtutum Christianarum, exemplô Regis Davidis nobis adumbratarũ, Nomini tuo inscriberem, & Te Patronô publici iuris facerem. Neque istud quidem præter officium me fecisse arbitrabor, cum tu speculum pietatis & virtutum, imo etiam humaniorum, quas hactenus summe amasti, & adhuc dum amas, literarum, vere dicendus sis. Accipe ergo serenâ fronte hoc clarissimum Christianarum virtutum speculum, & tuo patrocinio fouere, benignè complecti, & sartum tectum tueri dignare, meque vt hactenùs facere consuêsti, amare perge. Deus Ter. Opt. Max. tibi tuisq; cumulatissimè benedicat, & pro tua clementia, ad omnium bonorum commodum, diutissimè

tißimè incolumen conſervet. Dabantur Francofurti ad Mœnum. Anno 1631. die 31. Iulij.

ILLVSTRI. TVÆ DIGNITATI

addictißimus.

Gulielmus Fitzerus Librarius Anglus.

DAVIDI REGVM PRÆSTANtiß. Benedicti Ariæ Montani Dedicatio.

QVicquid ad exemplar vitæ, ingeniique probandi
Fabula compoſuit, vel dedit hiſtoria;
Quicquid in humanis fuit admirabile rebus,
Quas bene culta fides promouet ac pietas:
Vnus leſſiades verum propriumque probaſti,
Præſenti inſtructus numinis auxilio,
Quæ brevibus memorata tuus ſpectanda theatris
Exhibet è puro pectore diſcipulus.
Otia contingant, optata & copia mentis;
Magnæ, & ſit voti ſpes mihi certa boni;
Ipſe ego componamque tuos veterumque labores,
Et referam numeris ponderibuſque ſuis.
Et quanto cunctis præſtare videbere, tanto
Vatibus ipſe aliis vtiliora canam.

HYMNVS IN DAVIDEM.

HEroa magno pectore perpeti
Doctum labores, exſilia & minas:
Iras furores ac ſuperba
Monſtra rudi cane Muſa plectro:

Dicta

Decepta quem non fœdera centies
Regis minacis & nimium feri,
Concessa nec iustæ vltionis
Copia non licitos in actus
Transuersum abegit: verum animi sui
Qui victor, hostis victor item sui,
Patris supremi præstolari
Auxilium didicit fidemque.
Hunc parua vili Bethla humilem lare
Caulas sequentem fouerat. Hinc Deo
Mandante sceptris destinatur,
Præquibus omnia regna nil sunt.
Funda ille fregit (res noua) simplice
Horrenda vasti tempora Goliæ,
Assertor & vindex suorum,
Dedecorumque seuerus vltor.
Vincenda semper prælia & hostibus
Dandum superbis, quod subeant, iugum:
Sperare iam primis in annis
Vrsa cadens dedit & leæna.
In bella quantus tenderet, omnibus
Re comprobauit, gloria quos Deo
Lecti male vrebat popelli,
Fœderis indociles & æqui.
Incisa quondam marmore duplici
Præcepta verbis ac digito Dei:
Curauit & morem sacrorum,
Constituit celebresque ritus.
Idem sonantis munere barbiti
Victura dixit carmina, quæ Draco
Antiquus audire obstupescat,
Quaque probet Deus & secundet.
Exempla iustis regibus hic dares
Sectanda cunctis partibus integre,
Ni laudis immensæ nitorem
Pestifera inficeret cupido.
Suscepta fœdi pondera criminis,
Inflicta tæco & pectore vulnera.

Obliuioſum nec dolere
Præbet amor, neque cogitare:
Donec veternum pectore depulit
Sermo verendi Vatis, & acrior
Reſponſio, cui noſſe Numen
Facta ſimul dabat & futura,
Felix carentem ſtultitia mala
Gens nacta regem proxima, principi
Subiecta, qui rectum probandi
Conſilium monitoris audit.

IDEM HYMNVS PROSA ORATIONE EXPOSITUS à Matthia Bergio: qui eum concinnauit ex duabus odis Benedictæ Ariæ Montani, quæ ſunt inter HVMANAE SALVTIS MONVMENTA XXIII. & XXIV. quibuſdam de ſuo additis, quibuſdam mutatis, vt Lectorem decebit collatio.

DIcam & celebrabo Dauidem, heroëm maximum, & omnibus rebus ſpectatum probatumque: Quem neque indigniſſimæ Saulis iniuriæ, neque opportunitas vindictæ in hunc exercendæ eo perpulit, vt innocens nocentem occidere vellet, aut vltionem, quam Deus ſibi reſeruari vult, ipſe vſurparet. Ille vero patientia & auxilii diuini exſpectatione cum hoſtes ſuos ſæpe, tum ſeipſum ſemper vicit. Bethla illum primo habuit paſtorem: Mox vero vidit ipſum ei regno præfectum, quo nullum in genere humano fuit præſtantius. Huic ita præfuit, vt ſicut Goliam illum immanem nouo genere armorum & belli ſuperabat etiam nunc paſtor & adoleſcens, ſic & alios eius ſimiles hoſtes ſimiliter debellaret, populumque Dei in optatiſſimam libertatem aſſereret. Talem ipſum regem futurum portendebat iam olim illud, quod paſtorem adhuc agens, leonem & vrſum inuadentes gregem, ſuis manibus trucidarat. Quantus bellator eſſet, experti ſunt hoſtes, quotquot populum Dei laceſſere atque inuadere auſi ſunt. Idem vero curauit etiam id, quod & in bello & in pace omnium operum noſtrorum primum eſſe debet, vt ſcilicet relig o vera floreret. Inſuper etiam ipſe talia condidit carmina, quibus nihil poteſt fieri diuinius, nihil ſanctorum hominum vſibus aptius, quæ audiens ipſe contemiſcat Satanas. O quale exem-

plar

plar omnis virtutis ille esse poterat rebus omnibus in tota vita sua, nisi lapsu grauissimo iterum atque iterum fuisset præuentus! Sed (qui δεύτερος πλοῦς dicitur) à lapsibus suis iterum erectus est Prophetæ Nathanis salutari castigatione & monitis. Prima populi felicitas est, tali parere regi, qui omnibus nævis careat: proxima talem habere, qui humana infirmitate præuentus, fideles consiliariorum admonitiones patienter admittit, & sua errata emendat.

PRIVSQVAM AD SINGVLAS PARTES Historiæ Dauidis descendamus, operæ pretium nos facturos existimauimus, si eiusdem & aliud Elogium initio adscriberemus ex sacrarum Antiquitatum monumentis LVDOVICI HILDESSEMII Consulis Andernaci.

DAVID.

Pinguia ceu grato fragrant opobalsama succo,
Sparsa vel in sanctos thurea grana focos:
Tam sacer Isaides diuinum spirat odorem,
Non secus ac summo victima grata Deo.
Penepuer vastum miranda cade gigantem
Stravit, & imbelli gloria parta manu est.
Effugit & furias infesti regis & iras,
Altior atque magis quo premeretur, erat:
Auspice nam cœlo delectum regna manebant,
Regna Sioneis conspicienda iugis:
Gentibus vnde salus quondam foret vna futuris,
Isaida soboles germine mixta Dei.
Cernimus agnorum custodi regna parari:
Infima nam tollit, deprimit alta Deus.
Fœdera sic Supterum, promissaque pacta mereris:
Gratia virtuti tanta parata tuæst.
Nam tua seu lato veheretur gloria curru,
Seu foret indignis sors miseranda malis;
Omnis erit defixa Deo fiducia rerum,
Et mens in summum relligiosa Deum.
Te quoque pangentem sacrato carmina plectro
Imbuit excelsi plenior aura Dei.

Et pater ipse pias solatus ab æthere mentes,
Voce tua, terris nobile liquit opus.
Hæc omnis series sublimibus alta figuris,
Æterna rerum mystica facta fide est.
Omnia nam magni referuntur imagine Christi:
Hic verum signo clarius exstat opus.
Quisquis es, æternum gratus venerare parentem:
Sic Deus, & cœlum seruiet omne tibi.

IN SACRAS MEDITATIONES
Dn. MATTHIÆ BERGII.

Pios manes Clarissimi, doctissimi & religiosissimi Viri M. MATTHIÆ BERGII, Præceptoris quondam sui felicissimi, alloquitur

RODOLPHVS GOCLENIVS
Profess. Marp.

SIc vivis BERGI. *Media tua posthuma proles*
Luce apparet, honos, dum Schola sacra, tuus.
Hæc nata VRANIE, plectrum moderante Propheta;
Hac vitamque tuam spirat & ingenium.
Vtilium tua vita fuit meditatio rerum:
Tota fuit probitas: tota fuit pietas:
Quam RITTERSHVSIVS seris dat viſere sæclis:
Magna sit ergo illi gratia, magna tibi.

BONA

I.

BONA INDOLES RECTE CVLTA.

1. Reg. 16.

DAVID a puero parentibus reuerenter obediendo, partes Oeconomicarum operarum sibi mandatas fideliter exsequendo, & Dei inuocationi ardenter vacando, omnia boni adolescentis munera implet.

Iessiada laudes puero meditante, paternum
Et pecus, & volucres, & stupuere ferae.
Ipse Pater superum dixit, meus hic, meus esto:
Hic pascat nostros instituatq; greges.

PARAPHRASIS

Seu vberior explicatio historiæ & doctrinarum, quas illa suppeditat.

Bona indoles recte culta eo proficit, vt possit & dicere & facere Deo grata & hominibus salutaria. Sic Dauid cum a puero suam indolem conuerteret ad pietatis exercitia, eo euasit, vt omnia genera hominum tanquam heroa ipsum admirarentur: & vt Deus de ipso diceret: Inueni virum iuxta voluntatem meam. At vero qui vel sua vel suorum culpa ad latum illud iter vitæ degendæ abducti, huic assuescunt, ijs fel & absinthium & Sardoæ herbæ sunt omnes virtutis & officij rationes, quibus bonis mentibus nihil est suauius. Amara sunt enim vitiosis ac male viuentibus præcepta iustitiæ, vt ait Lactantius: Vnde fit, vt pauci exsistant Dauidis similes, & pleriq; homines euadant vel pecudum more ad ventrem abiecti, vel etiam furiæ atq; alastores generis humani. Exemplis in re manifesta non est opus. Aspice tantum imaginem, quæ in ipsa natura proposita, id nobis pingit, de quo agimus.

Lib. 1.

De putri viscere tauri.

Florilegæ nascuntur apes, quæ more parentum
Rura colunt, operiq; fauent, in spemq; laborant.
Pressus humo bellator equus crabronis origo est.
Concaua litoreo si demas brachia cancro,
Cetera supponas terræ, de parte sepulta,
Scorpius exibit, caudaq; minabitur vnca.

I nunc & studium virtutis petulanter ridere assuesce a teneris, quisquis serpens, scarabæus aut crabro esse desideras. At tu qui meliorem nactus es naturam, indolem bonam bene cole, vt Dauidico cœtui aggregatus perpetuo gaudere possis pueritiæ tuæ studijs. Tu quoq; cui deterior illa contigit, ne despera. Bona institutio atq; assuefactio etiam ex mala indole bonam vel certe minus malam efficere potest.

FIDEI

II.

FIDEI TYROCINIA.

1. Reg. 17.

DAVID opilio dum in solitudine paterno grege pascendo & diuinas interim laudes studiose meditando exercebatur, duas beluas gregem inuadentes, vrsum scilicet & leonem, heroico spiritu percitus occidit.

Qui puer immanes vrsos rabidosq; leones
Strauit, securum iussit & ire gregem,
Quæ sibi pro patriis adeunda pericula sacris,
Viribus & quantis exsuperanda putet?

EXPLICATIO.

Mollem & delicatam vitam Deus suis non promittit, neq; in delicijs habet hominem sibi dilectum, sed illum explorat rebus aduersis, exercet, durat, sibi ipsum præparat. Idq; inde vsq; a prima ætate in suis peragit. Hoc modo omnes sanctos semper tractauit, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Moysen, &c.

Sic Dauidem duxit inde vsq; a prima pueritia:

Vincendi cui mox prælia, & hostium
Frangenda mille monstra furentium
Sperare iam primis in annis
Vrsa cadens dabat & leæna.

Vel:

Qui necem imbelli pecori minantem
Vrsum & audacem superans leonem,
Signa virtutis puer & futuri
Roboris edit.

Quibus præludijs ipsum edoceri Deus voluit, quantas olim res effecturus esset: atq; item ad hæc obeunda præparari. His nimirum beluis cæsis ostendit, se aliquando futurum assertorem ac vindicem suorum, & improbitatis vltorem seuerum: quam in partem ipse coram Saule hos euentus interpretatur. Sicut mox ab his initijs profecit ad illud, vt memorando illo duello Goliathum sterneret. Discat ab hoc exemplo adolescens operi atq; officio ipsi assignato in fiducia certa diuinæ opis inuigilare. Id facienti si quid discriminis occurrerit, & potest Deus & vult famulum suum defendere, & a tyrocinijs militiæ ad salutares triumphos perducere.

MODE-

III.

MODESTIA PROBATA.

1. Reg. 16.

DAVID pastoris munere fideliter functus rex designatus, fratribus suis omnibus prælatus.

Deligitur dignus, quamuis neglectior ipse,
Despectus quamuis sit sibi, sit q; suis.
In tenebris iaceat vulgo non agnita virtus,
Exstabit tandem vindice fulta Deo.

EXPLICATIO.

Octo filiorum pater erat Isai: quorum tres natu maximi Sauli militabant: quatuor alij domi curabant, ipsi quoq; acres & strenui. Natu minimus Dauid pastor erat. Samuel ablegatus a Deo, vt regem ex illis eligeret, septem priores regno indignos censuit: Dauidem vero omnium contemtissimum, & ipsius quoq; patris iudicio fratribus posthabitum ex agro a gregibus aduocatum, ex opilione regem fecit.

Hac in historia multiplex documentum continetur. Ac primum illud: Qui repugnat honori, fugit, contemnit honorem, is merito dignissimus honore putatur: quiq; sibi nihil tribuens, sese ipsum contemnit, alios sibi præposuisse paratus, is honore est dignus. Plautus ait in Trinummo: Qui ipsus se contemnit, in hoc est indoles industriæ. Sic Alexandrum Seuerum dixisse accepimus: Inuitos esse honoribus ornandos: eosq; magistratibus esse præficiendos, qui honores non affectarent. Ex Platonis sententia, qui tum demum florentes ac beatas respublicas fore dixit, εἰ περιμάχητον ἂν εἴη τὸ μὴ ἄρχειν, ὥσπερ νῦν τὸ ἄρχειν: hoc est, si de eo inter se digladientur, vt quisq; a se remoueat magistratum, sicut nunc omnes de eo inter se contendunt, & omnis cura viris, quisnam fiet imperator. II. Sic virtus licet occultata diu, tandem tamen diuinitus in lucem producitur, fastu & superbia omni ex diuerso turpiter confusa. III. Deniq; vilia Deus assumere solet, & ex his maxima prouehendo comparare, vt ipsi omnis gloria tribuatur. Has regulas nō sequitur aut obseruat vulgus (vulgi autem appellatione non modo plebs & fex hominum, sed sæpe etiam Magnates continentur, si nihil supra vulgum aut carnem sapiant) cui illud fere in ore & in corde est: Summum petendum est, vt medium habere possies. Itaq; omnes fere alta petere atq; affectare videas, & humilia aspernari. Hinc Icari multi, hinc Phaëtontes multi.

1. Cor. 1.

Scilicet ambitio plerumq; capessere magna,
Viribus haud dubitat vel grauiora suis.
Vnde fit vt sumto multi sub fasce premantur,
Eq; locu superi petius ad ima ruant.
Aequore cumq; queant salui consistere plano,
Vt pereant miseris alta dedere modis.

VIRTVS

IIII.

VIRTVS VLTRO INCITATA.

1. Reg. 17.

DAVID impij Goliathi maledictis in DEum & populum Israël prouocatus, in singulare certamen cum illo descendere cupit, si rex permittat: nihil moratus fratres suos, inhumaniter hanc ipsius προθυμίαν & hunc sanctum ardorem increpantes.

Cum primum monstrata petens subit ardua virtus,
Difficilem fortis sustinet inuidiam.
Nec satis est sentire hostes aliena professos:
Infensam propriam sentit & illa domum.

EXPLICATIO.

Virtus, quæ hominum animos ad sydera tollit, si quæris quibus gradibus aut quo pacto id faciat, respondeo: Primus ad hanc rem gradus est cognitio faciendorum & fugiendorum, quam subministrant cœlestis sapientiæ myrotheca, in sacris literis nobis aperta. Proximum est ingenuum studium atq; alacritas, vltro incitata ad pergendum qua vocat, qua ducit Deus. Cum hac coniungi oportet tertium, vt scilicet armet sese animus fortitudine contra monstra, quæ in hoc studio se offerunt creberrima. Neq; enim vnquam facessunt illa a pietatis & optimarũ rerũ studioso: nunquam deest illi sua chimæra, sua lernæa hydra, cum qua ipsi est dimicandum, & quam superare eum oportet. Neque tantum diuersorum institutorum studiorumq; homines talibus infesti sunt: sed plerunq; etiam plus negotij eis exhibetur a domesticis, h.e. a proximis, eiusdem religionis, ordinis, studij, professionis, adeoq; coniunctissimis hominibus. Monstri hoc simile est, & mirandum erat maximopere: id quod fieret etiam, nisi tam peruulgata esset res, vt ea de caussa admirationem non habeat. Nimirum superbia & ambitio naturæ insita plerosq; eo agit, vt fastu pleni alta omnia sibi vindicent, poscant, sumant potius quam alijs concedant. Ideoq; alta petentes alios odimus, illos etiam quos Deus eo vocat. Nihil opus est exemplis, quorum vndiq; copia tanta est, quanta guttarum in imbre a stiuo decidentium. Vt cetera omittam, Iessiden considerare est operæ pretium, cuius historia huius quoq; rei exemplum suppeditat. Is enim quando cum Goliatho præliari instituit, primum durissimam habuit concertationẽ cum fratrib. suis, quos magis etiã infestos habuit, quam illũ ipsum hostẽ impium Palastinũ. Veruntamen & Dauid & omnes alij huiusmodi, ipso exitu comperiunt verissimum esse illud ab Ethnico Poëta sapienter dictum: Quicquid id est, quod mihi suũus omnium rerum parens destinauit atque constituit, certus sum illud euentu tandem felici non esse cariturum, quicquid contra machinentur impij. Sententia est Pindari Neme. 4. ἐμοὶ δ' ἐπαΐειν ἀρετὰν ἔδωκε πότμος ἄναξ, ἕυ δ.δ' ὅτι χρόνος ἔρπων πεπρωμέναν τελέσει. Sic idem Pythi. vlt. λόγε μόρσιμον ἀ παρφυκτὸν. Vnde Querolus antiqua Comœdia: Agnoscant (inquit) homines, neminiauferri posse quod Deus dedit.

Quod pia fata volunt, hominum non inuida tollent
Vota: sit in votis quod pia fata volunt.

Vel

Vel sic:

Quod pia fata volunt, hominum non inuida vota
Ferre queunt: sed erit quod pia fata volunt.
Was einem von Gott ist beschert/
Bleibt jhm von Menschen vnerwehrt.

EADEM SENTENTIA A M. BERGIO carmine expressa, & in exemplum imitandi proposita iuuentuti scholasticæ.

Virtus sublimes animos ad sidera mittens
Quanam se tollat conditione, rogas?
Primus ad hanc gradus est, fugienda sequendaq́ rite
Scire ex hac norma quam dedit ipse Deus.
Inde voluntatis constans inductio, & hæc mens
Quæ sese stimulis incitet vsq́ suis.
Deniq́ iungenda est dos tertia, pectus vt aptes
Forte, quod inuidiæ monstra subacta domet.
Nunquam bella bonis desunt, discrimina nunquam,
Et cum quo certet mens pia semper habet.
Huic semper sua Lerna, sua huic solet esse chimæra,
Vi simul hunc certans & superare dolis.
Nec tantum exercent tales aliena profesi:
Sed cognata domus, sed patruele genus.
Mira quidem hæc (inquis) Libycusq́ similima monstris,
Mortalesq́ inter vix habitura fidem.
Certe mira: at sic vsu vulgata frequenti,
Nil fieri vt mirum, qui videt ista, putet.
Scilicet ambitio mortalibus insita poscit
Alta sibi, atq́ alios qua potis arte premit.
Hos quoq́ quos penna nobis maiore leuari, &
Quos studij auctorem scimus habere Deum.
Nil opus exemplis, quorum vndiq́ copia tanta est,
Quanta vel æstiuo guttula in imbre cadit.
Cetera, quæ poterant afferri, intacta relinquo:
Iesidæ exemplum cernere profuerit.

Ille auctore Deo monstrata capessere pergens
Fraternam primum sustinet inuidiam:
Quando humilem elati terrore minisq; petebant,
Nec minus infesti, quam ferus hostis erant.
At tu, Ießidæ quemcunq; exempla sequentem
Consimilis parili sorte palæstra tenet,
Hæc infixa tibi fac sit sententia, mille
Quam quæq; exemplis comprobat historia:
Quod mihi cunq; decus Deus & bona fata dedere,
vel: *Quicquid id est, mihi quod diuina potentia donat,*
Id sua confectum tempora iusta dabunt.
Iusta sequens, fretus q; Deo, hoc duce victor abibit:
Rumpatur quisquis, rumpitur inuidia.

EXPE-

V.

EXPEDITIO MVNITISSIMA.

1. Reg. 17.

Mirus apparatus Dauidis ad duellum cum Goliatho decertandum descensuri.

Nulla fides, vt monstra ruant, non indiget armis,
Arteis humani damnat & ingenij:
Difficilesq; subit casus, atq; ardua tentat,
Tecta vno studio præsidioq; DEI.

EXPLICATIO.

Artibus vitæ varijs varijsq; hominum adinuentionibus est vbi vita humana opus habet, & vti potest sine impietate (quam prudentiam vocamus, excellens Dei donum) Est etiam vbi his nihil sit loci relictū, vel certe vbi non nisi summa cautione ac religione eas adhiberi oporteat. Vitæ huius cultum dūtaxat spectantia resq; mundanas arte & prudentia regi atq; institui rectum est. At vero vbi gloria Dei & salus æterna agitur, & eæ res, in quibus hęc versatur, hic non valebit calliditas vel ars humana: sed fides verbo Dei nitens & huic obsequens, dux erit & viam muniet ac sternet. Etenim duplex homini concessa facultas est, geminumque in quo recte laboret iter datum: Vnum commune ipsi cum ignobilioribus naturis, animantium scilicet & rerum terrenarum. Hic ratio dux est: hac efficit homo alijs animantibus inimitabilia: adeoq; quisquis homine se dignum gerit, sedulo hanc partem excolit. Altera pars & sors hominis est, vt cum Deo coniungatur, cum in hac vita incipiendo, tum in altera consummate. In hac parte Dei ductum sequi oportet, vt recte ambuletur, nec quicquam sapientia humana suscipi præter aut contra illius sententiam. In hoc itinere cum mille monstra obijcit Sathan, quæ a recto itinere seducant, fidei armis vtendum & occurrendum est: quæ sunt confessio syncera, oratio ardens, patientia & spes DEO confisa, & quæ præterea schola DEI ad hæc prælia subministrat.

Sic tibi vincitur Goliath, ô Dauid pastor. Deiecto postea Dei armis Goliatho præciditur caput suo ipsius ense. Ita nimirum humanæ artes & inuenta, quando impietatis arx & fundamenta Dei manu & armis euersa sunt, suum etiam locum habent, & in conficiendis reliquijs adhiberi possunt.

FIDEI

V I.

FIDEI VICTORIA.

1. Reg. 17.

GOLIATH impius Deique contemtor monomachia victus a Dauide trucidatur.

Mole graui & subito casu magnis ruit ausis
Vis expers sensus consilijq; pij.
Hanc victrix pietas sternitq; trahitq; triumpho,
Non iactare minas docta, sed efficere.

EXPLICATIO.

Dextra mihi & telum hoc Deus est: his me confido victoriam adepturum, & laudem consecuturum, dum reliquos timor & ignauia sua ad preces & supplicia ac vota facienda impellit. Sic ille gigas Gethæus seu Gethites viribus & vastitate corporis confidens, nec visu facilis nec dictu affabilis vlli: moxq; exercitum Israelitarum omnem præ suo robore & mole contemnit, prouocans ex eo fortissimum quemq; ,idq; mane & vesperi dies totos XL. trepidantibus ad eius conspectum vniuersis, nec audentibus cum ipso congredi. Hic Dauid maledicta istius in Deum impia non ferens, regis permissu certamen cum eo singulare suscipit. Atq; is loricamq; illius & hastam terribilem & cetera quibus omnes terrebantur, nihil reformidans, funda & lapillis tantum instructus, Assum (inquit) in Dei nomine: Is impio tibi mea manu quod meritus es exitium afferet: Nimirum is, qui fastum detestatus & superbiam, maxima & firmissima quæq; exiguis viribus conficere & perdere solet. Dixit, & illi impio mox funda saxum in os aduersum librat & intorquet, vnicoq; hoc ictu cassidem æneam istius perrumpit, & cranio percusso deiectum gladio proprio obtruncat. Videas in hac imagine fastus & insolentiæ humanæ exemplum, vt ab hoc scelere cauere discas. Videas in eadem exemplum piæ modestiæ officium suum sancte facientis. Disce hinc non tuis dotibus, sed Dei auxilio niti, qui nunc quoq; maxima sæpe conficit per ea quæ sunt minima.

PIE-

VII.

PIETATIS TRIVMPHVS.

1. Reg. 17.

DAVID Goliathi superati & caput & arma fert secum Hierosolymam, & arma in tabernaculo suspendit, atq; ita deuicto victor super hoste triumphat.

Inuisa superis vires, animiq; minantis
Scilicet ausa ferox ora mouere nefas.
Monstrum horrendum ingens iuuenis virtute modesti
Concidit: Expedit hoc milite bella Deus.

EXPLICATIO.

O Rex superbe, & aula item regia vide quid adolescentis modesti & pij dextra efficiat: Illius, qui pastor oues curare, nihilq; magnificum de se sentire assuetus a Deo solo pendere & huius ministerio se consecrare solitus est. Ille inquam adest victor magni illius Gigantis, qui cœlum vertice pulsabat: qui robore & viribus & armis suis fretus numen abnegabat, (quales Psalmus 14. describit) aut potius qui sese pro numine habebat: qui verba inania & rumores vacuos esse censebat, quæcunq; de Deo & rebus diuinis audiuerat. Heu quanta & nunc multitudo est talium in aulis, in caulis, in principibus, in populo, qui eosdem mores sequuntur: qui securi sunt comminationum diuinarum, securi eorum omnium, quæ Deus impijs minatur, quæq; Deum spernentes tandem comitatura sunt, longam furoris & insaniæ telam texunt: quibus ferocia, insania & petulantia effrenis præclara laus esse videtur: deniq; qui nihil putant esse indignius, quam legum & disciplinæ vincula pati. At vos quibus datum est sapere melius, credite, modestia & per timorem Dei compositi mores, sunt res sanctissima: Credite sapienti illi, qui dicit, Corona exsultationis est timere Deum, germinans pacem & incolumitatem sanationis. Deniq; scitote, vniuersaliter, modestam pietatem Dauidis a Deo ad res maximas efficiendas adhiberi, reiecto fastu & insolentia Goliathi, Saulis, & omnium similium. Atq; vt est in versibus oraculi veteris: *Syracid. 2.*

Eusebius lib. 6. præpar. Euang. & Ælianus lib. 3.

Εὐτάκτων θνητῶν ζιοτὴς θεοὶ ἵλαοί εἰσιν,
Εὐσεβέων δ' ἁγίας θυσίας τιμάς τε δέχονται.
Τοῖς δέ κακῶς ἔρξασι δίκης τέλος οὐχὶ χρονιῶδον,
Οὐδ' ἀπαραίτητον, οὐδ' εἰ Διὸς ἔγγονοι εἶεν.
Αλλ' αὐτῶν κεφαλῆσι καὶ ἐν σφετέρεσι τέκεσσιν
Εἰλεῖται καὶ πᾶμα δόμοις ὅτι πάσι βαίνει.

Hoc est:

Vita modesta Deo grata est acceptaq; & horum
Quis cordi est pietas, ipsi placet hostia honorq;.
Pœna statuta malis certa est, quam nec mora tollit,
Nec supplex gemitus, vel si sint de Ioue nati.
Sed iuste auctores ante omnia vindicat ipsos:
Hinc natos: cladem & mox excipit altera clades.

CARMEN M. BERGII PROPOSITVM iuuentuti Scholasticæ ad imitandum.

ASPICE *Rex q; superbe, & rege superbior aula,*
Quidnam humilis pueri dextra modesta ferat.
Ille pecus vacuis contentus pascere campis,
Ille nihil de se promere magnificum
Suetus: at in cœlum solitus spectare, Deiq;
Vnius sese dedere seruitio,
Victor adest magni illius inuictiq; gigantis:
Illius, in cœlum qui modo probra dabat:
Robore quiq; suo confidere suetus & armis,
Ipse Deiq; sibi & numinis instar erat:
Qui cœlum & numen pietatemq; officiumq;
Esse apinas omni tempore crediderat.
Hei mihi, quam magnus vel nunc quoq; cœtus eorum est,
Quis idem affectus, mens eademq; sedet:
Qui Goliathe tuos mores, tua facta sequuntur,
Securi supero qui fremit axe furor:
Quis furor & feritas simul & petulantia, res sunt
Quarum vsu ac studijs nobilis esse queas:
Deniq; qui censent nihil esse indignius ipsis
Quam disciplinæ vincula sancta pati.

At vos

At vos quis melior sententia contigit & mens,
Et quorum non hoc pectora virus habet,
Hunc iuuenem, humanos pretij nullius habendum
Ante oculos, iusto discite habere loco:
Quos neq; Rex audet sperare nec aula triumphos,
Hos iuuenis spreti dextra modesta refert.
I nunc & fastum sequere & mirare potentes,
Et dedignatus vilia, summa pete.
Cernitis hæc, tu Saule simul, tuq; aulica turba,
Turba simul Solymes mœnia celsa tenens?
O vtinam cernatis, & hinc discatis vtriq;,
Ante oculos præsens quod locat historia:
Quanta homini dos sit pietas cum mente modesta,
Quæ studet officij munia obire sui:
Quam sint composita res felicissima mores;
Quam furor & feritas tristia damna ferant.
Dico iterum: Pietas dos maxima, cui latus ambit
Sedulitas penso dedita rite suo.
Hinc est pax animi: res hinc intusq; foriscq;
Optata semper conditione fluunt.
Hæc olim sapiens monuit sapienter Ebræus:
Qui sapis hæc omni disce notare loco:
Iessidæ in mores animum vt formare laborans
Iessidæ euentus tu quoq; participes.

C

VIII.

HVMANARVM OPVM PRAESTANTISSIMÆ.

1. Reg. 18.

IONATHAS admiratione virtutum Dauidis inducitur ad fœdus cum ipso iungendum.

Virtus vera bonos æquat, sanctosq; ligatos
Coniungit certa fœdere amicitiæ:
Participesq; facit vitæ socios q; laborum
Communi tutos viuere consilio.

EXTLI-

EXPLICATIO.

Ite procul amicitiæ, quas voluptatum illecebræ, quas vtilitatis spes, quas diuitiarum admiratio, quas subdola & palpans adulatio conciliat. Est aliud vinculum, aliud glutinum, quod melius, felicius, laudabilius, rectius copulat animos, virtus scilicet: cuius tanta est commendatio, vt facile conciliet sui studiosos, & in amorem mutuum rapiat. Ac vt scelus est, scelere & facinore conciliata caritas: Ita quæ illis supra dictis caussis conflatur non est multo melior. At vero illa demum est vera amicitia, quam virtutis studium & amor gignit, Hæc vera est conciliatrix animorum, nectens & glutinans illos feliciter vinculis adamantinis. Et talis amicitia vnicum est certumq; vitæ præsidium & custodia certissima, plus boni in se continens quam verbis dici potest. Hinc plurimus vsus est vitæ, plurima commoditas: hinc suauitas singularis. In hac vere fit illud, quod dicitur (Ecclesiastæ, 4.) Caditvnus, attollitur ab altero: Hic vere manus manum digitumq; digitus abluit. (χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλος δὲ δάκτυλον: vt est in vet. vers. quo significatur, inter homines mutua debere esse officia, mutuam communicationem officiorum) Hic vere quod vni deest, alter supplet, quandoquidem nihil perfectum in se natura fert, sed aliud dat alij, & vnius egere vult alterum, vt quæ inualida erat pugna vni pugnata (Euripid. μιᾶς δὲ χἀρὸς ἀσθενὴς πέλει μάχη.) iam felix & efficax sit adiunctione alterius. Per huiusmodi amicitiam concordia crescunt & augentur res, quæ alioqui perituræ erant. Neq; vero rumpitur querimonijs malis. Absunt enim caussæ harum, nempe ambitio & inuidentia, quæ certamina & rixas excitant, & homines cum hominibus committunt, vt Atreus & Thyestes, Eteocles & Polynices, Romulus & Remus inter se infestis animis & armis colliti sunt. Tale hic nihil est: sed alter alterius virtutem agnoscit, eandem amat & defendit. Itaq; non indulgetur odijs, sed ad finem vsq; mutuo iuncti manent & amant cum laude immortali. Sic Dauid & Ionathas virtute conciliabantur. Ideoq; præstat vterq; amico fidem omnem, etiam in maximis difficultatibus. Fortunati ambo, vel in primis hoc nomine, quod vtriq; contigit amicus talis. Tuq; ô Ionatha felix, qui etsi in acie cadis, tamen fructum percipis fidei & pietatis. Nam tota reliqua Saulis stirpe deleta mansit posteritas tua annis amplius quingentis post tempora Dauidis.

IX.

CIRCVMSPECTA VIRTVS.

1. Reg. 18.

DAVID dum Saulis furorem Musica sacra mulcet hasta ab illo petitur; sed prudenter declinato ictu euadit.

Officiosa pij valde ac studiosa iuuantis
Virtus, lethali excluditur inuidia.
Dura hominis mens est, ac sancto ingrata labori.
Sed Pietas comites excipit alma suos.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Siccine vero te & optime de vniuerſo regno meritum, & porro etiam de omnibus bene mereri volentem Rex impius mactare deſtinat? Hæccine gratia redditur fidei, laboribus, periculis tuis? Itane cito ſeneſcit cumq; ipſo flore decidit gratia? Et ſimul ac nata eſt, mox perijt? (Menandri verſus hic eſt: ἅμ' ἠλέηται, κἀτέθνηκεν ἡ χάρις. quem ſic expreſſit Auſonius Epigr. 132. Si quid petendi promtus opis impertias, vt miſereare, gratia aſtutum perit. Catullus ſimiliter exclamat: Omnia ſunt ingrata, nihil feciſſe benigne eſt.) Neq; alia habet ſtipendia, quam præcipitem & immanem iniuriam? Ecquis autem, ſi ſic eſt vita, ſi ſic ſunt mores, ſtudeat de alijs bene mereri amplius? (Deſine de quoquam quicquam bene velle mereri: inquit idem Catullus) Ecquis iuſtus eſſe velit, niſi idem ſemetipſum velit perdere? Quin potius nec ego ſim iuſtus, nec mea ſoboles: (Sic Heſiodus inquit.

Νῦν δέτ' ἐγώ μήτ' αὐτὸς ἐν ἀνθρώποισι δίκαιος
Εἴην, μήτ' ἐμὸς υἱὸς. ἐπεὶ κακὸν ἔμμορε ἔτως.)

Sed ſatius fuerit orbitam vulgati moris ſequi: Nempe vt egomet mihi conſulam, mihi proſpiciam, rem meam ſtabiliam de alijs omnibus ſecurus. Sic aliquis e vulgo Dauidi obijcit: cui ad hunc modum in Dialogiſmo quodam ille reſpondet. Verum eſt: Ingrata eſt hominum natura, nec debitam beneficijs mercedem reddit: Immo vero vt quiſq; ſanctis probandiſq; laboribus optime de quam plurimis mereri, multos iuuare, multis commodare cupit, ita maxime odijs & inuidia premitur. Ac vt maxime odijs & inuidia careat, fruſtra tamen niti videtur, quod extremæ eſſe dementiæ exiſtimatur. Et miſerum eſt, fruſtra niti nec proficere hilum. Veruntamen pietatis eſt bene velle mereri de multis propter gloriam Dei & hominum ſalutem. Neq; oportet vel impiorum proſperitate vel bonorum anguſtijs ita percelli aut perturbari, vt iniuſta agamus, ſed vtraq; hæc Deo commendare, & officium interim pie & ſancte facere. Deus etiam ex periculis inexplicabilibus, vbi tua cautione, circumſpectioneq; tibi non poterat conſuli, præſidio ſuo te incolumen præſtabit. Ergo exemplum meum ſequere ſedulo cum omni prudentia. *Salluſtius.*

X.

DELIBERATA SPES.

1. Reg. 18.

DAVID sponsalia regiæ virginis iussus redimit ducentorum hostium cæde.

Propositæ imperiosus amor subnixus honesto
Nil non promittit, nil sibi non superat.
Tutantemq; pios & noxia monstra domantem
Aspiciens cælo promouet ipse Deus.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Qui nuper videbas in Dauide exemplum constantiæ sanctæ, quæ non deficit propter res duras, vel ob ingratitudinem hominum erga bene merentes de alijs, iam porro vide in eodem exemplum aliud, in Dauide inquam, dum regiæ filiæ matrimonium ipsi offertur, ea conditione, si facinore egregio in hostes edito illis nuptijs sese dignum efficeret. Modum hinc & rationem discę recte & laudabiliter instituendæ vitæ & actionum, vt & Deo & hominibus proberis, veramq; gloriam consequaris. Prima cura sit, vt caussa vel negotium ipsum quod aggrederis, sit honestum: Secundo vide, vt honeste etiam agatur, hoc fine, vt Deus colatur, & proximo cōmodetur, & vt aliquis sibi etiam honestas commoditates conciliet. Tertio, Nil sibi quisquam de se magnificum polliceatur, sed de DEo omnia exspectet. Quarto accedat inuocatio Dei, vt is opem ferat, manumq; porrigat & dextram subijciat laborantibus. Quinto præstetur iam labori ipse, quem magno animo obiri oportet fiducia auxilij diuini. Labore opus est, si vis potiri gloria. ἐκ γὰρ τοῦ πονεῖν τὸ κλέος. Sexto, hinc sequitur successus: hoc subnixa fundamento virtus nihil non assequitur, nihil non obtinet, nihil non expugnat. Omnia possum, in eo qui me roborat, inquit Paulus. Septimo, Hinc illum sequitur gloria: Gloria inquam, quam conciliat Deus, iustorum negotiorum promotor: Gloria, quæ nunquam alia quam hac ratione vera & solida comparatur: Gloria, quæ hoc modo parata permanet contra omnes machinationes inuidiæ: Deniq; gloria, quæ quo magis premitur, eo euadit illustrior.

XI.

VIRTVTIS PRAEMIVM.

1. Reg. 18.

DAVID virtute efficitur gener regius.



Emeritos tandem virtus contingit honores,
Quos inuita licet comprobet inuidia:
Principibus par iusta viris, par regibus altis
Obtinet, obscurum nobilitatq; caput.

EXPLICATIO.

Vt Dauid redijt victor a cæde Goliathi arma opima referens, iam regis natam habere debebat, cum totius populi gratulatione omniumq; applausu, idq; ex pacto, imo vero ex prouidentiæ diuinæ consilio.

Quid fraudare iuuat generum, rex improbe, talem?

Hoccine præstantior aut potior sponsus filiæ tuæ, aut te socero dignior gener inueniatur? vsque adeone tibi virtus huius iuuenis inuisa est & sordet, vt illum ob hanc omnibus carum solus negligas, imo oppressum cupias? Ille tamen ob iniurias ab officio nunquam recedet. Et bene habet: Aptior est illi filia natu minor, humilitatē sc. amanti, & huius amandæ exempla adomnes edenti. Nihil agis interea astu improbo illum hostibus mactandum objciens, tanquam ἔυνης σφάκτης id est, beneuolus trucidator. Nihil agis θεομαχῶν, hoc est, Deo repugnans. Ecce adest dotem ferens abs te requisitam, ante pedesq; tuos bis centum præputia victor abijcit annumerans. Ergo illi gnatam demum socer annuis, ergo cum thalamis gnatæ magna insuper dona, magnosq; honores concedis, ac vel inuitus fateris, heroicum ipsius animum omnia summa mereri. Rursus in exemplo hoc specimen memorabile cernis, qualis virtutem maneat victoria, quales euentus, quæ præmia, vtcunq; hanc inimica vis premit: vtcunq; rectis factis & honestis consilijs aduersa videntur omnia: tamen ita demum enitescit virtus, vt vel ipsius inuidiæ comprobationem inueniat. Nec patitur Deus hanc in occulto loco aut sub tecto obscuro & sordido latere, sed regibus æquat, principibus inserit, proceribus annumerat, deniq; humilem tollens de pulnere illuc prouehit, vnde exciderunt illi, quos illustri loco natos indoles maiorum suorum deseruit degeneres, tanquam monstra: qui nil patrium nisi nomen habent, vt ait Propertius. Nam qui parentibus suis non est similis, monstrum quodammodo est. Discessit enim in eo quodammodo natura ex proprio genere, cepitq; degenerare. ὁ μὴ ἐοικὼς τοῖς γονεῦσιν, ἤδη τρόπον τινὰ τέρας ἐστί. Παρεκβέβηκε γὰρ ἡ φύσις ἐν τούτοις ἐκ τοῦ γένους τρόπον τινά. vt est apud Aristotelem 4. de ortu animal. c. 3.

XII.

INVIDENTIA.

1. Reg. 19.

Pertinet huc psalm. 59.

DAVID a Saule ad necem quæsitus immissis percussoribus, muliebri calliditate vxoris suæ conseruatur, memorabili exemplo fidei coniugalis. Ben. Arias lemma hoc apposuerat huic historiæ: CONIVGII FIDES. Id hanc ob causam mutare nobis placuit, quia de ea in ipsius tetrasticho nihil agitur: sed de Inuidentia.

Alterius recte gestis & fortibus ausis
Inuida mille modis vritur ambitio.
Nec retinet pietas, generis neq; cura, nocentem;
Sed fugit hanc sapiens, prospiciensq; cauet.

fort. generi.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Vt solis radius in res diuersas illatus dissimiles ciet effectus, ceram emolliens, lutum contra indurans: ita & e virtute effloresces gloria, & in excellentibus ac heroicis hominibus ab alijs animaduersa non eodē omnes modo afficit. Est qui illius amore inflammatur, atq; ad honestā æmulationem se excitat: idque faciunt & facere debent bonæ mentes omnes, quoties aliquid egregiorum donorum Dei in alijs conspiciunt. Est vero etiam qui oculum habeat malum, qui aliena bona limis aspiciat: quod est inuidentiæ vitium, cuius fœditas est maxima: vt lambis Palladæ exprimitur, Antholog. 1.

Ω τῆς μεγίστης τῆ φθόνε πουηρίας?
Τὸν εὐτυχῆ μισεῖ τις, ὃν θεὸς φιλεῖ.
Οὕτως ἀνόητοι τῷ φθόνῳ πλανώμεθα.
Οὕτως ἐτοίμως μωρίᾳ δηλεύομεν,
Ελλωβες ἐσμὸν ἄνδρες ἐσφοδρωμένοι,
Νεκρῶν ἔχοντες ἐλπίδας ἰεθαμβύας.
Ανεγράφη γὰρ πάντα νεῶν τὰ πράγματα.

Quorum hæc est sententia:

O improbitatem maximam inuidentiæ?
Felicis oſor est quis amati ipſo a Deo.
Sic bruta gens erramus inuidentia.
Tam facile nos ſtultitiæ ſeruos reddimus.
Viri Pelaſgi iam cinis facti ſumus,
Et ſpes fouemus mortuorum abſconditas.
Nam ſuſq; deq; verſa iam ſunt omnia.

Et mox ibidem:

Ολαν συλῆς ἄνδρα, τὸν θεὸς φιλεῖ.
Οὗτος μεγίστην αἰτίαν κατεισάγει.
Φανερῶς γὰρ αὐτῷ τῷ θεῷ κορύσσεται,
Κόλον μέγιστον ἐκ φθόνε δισσεγμόν.
Δεῖ γὰρ φιλεῖν ἐκεῖνον, ὃν θεὸς φιλεῖ.

Hoc est: *Hos ſi quis odit, ipſe quos amat Deus,*
Se maximæ ipſum amentiæ coarguit.
Aduerſus ipſum namq; ſeſe armat Deum,
Ex inuidia bilem hauriens acerrimam.
Amare oportet hos, DEVS quos ipſe amat.

Inuidus alterius rebus macrescit opimis, inquit Horatius. Et Epigramma περὶ φθόνου venustum est:

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχῃ δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ.
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

Hoc est. *Vnum habet hocce boni, cum sit res pessima, liuor.*
Cor sibi consumit liuidus atq; oculos.

Neq; vero vritur tantum inuidia, sed & omni fraude & astu mouetur ad nocendum ei cui inuidet: Ac verissime dicitur, Nullum esse officium tam sanctum, tam solemne, quod non inuidentia comminuere atq; violare studeat. Est vero sapientis, non negligere hanc pestem, cum prætermissa diligentia illam cauendi sæpe fiat illud quod dicitur: Fraude cadit virtus: & cum sæpe inuidentia occulto veneno suo enecet eum, quem palam & aperto Marte perimere nequibat: sicut & nauibus periculosiores esse perhibent scopulos sub aquis latentes, quam rupes altissime eminentes. (Ex Epigr. Græc. Antholog. 1.

Φασὶ δὲ καὶ νήεσσιν ἁλιπλανέεσσι χερείους
Τὰς ὑφάλους πέτρας τῶν φανερῶν σπιλάδων.

Fugit ergo sapiens inuidentiam quantum potest, sibiq; ab illius fraudibus & insidijs cauet.

AMICI-

XIII.

AMICITIAE VERAE VSVS.

1. Reg. 20.

IONATHAS Dauidem amicum ex periculo vitæ liberat.

Præsidium firmum valli ac tutissima præstat munera, quam pietas iungit, amicitia.
Hac videt occultum, curat, docet, q3 periclum,
Et subit, vt socium liberet, ipsa minas.

EXPLICATIO.

Nullum seculum ignorabit amicitiam Dauidis & Ionathæ, quam Deus ipse voluit morte carere, atq; ab obliuione vindicauit: cuius memoriam conseruari voluit. Oderat Saul Dauidem, & cœdem ipsi sæpe machinabatur. Excusat illum ac defendit Ionathas apud parentem. Venit ea re in periculum vitæ, quando pater venabulo ipsum configere parat. Hinc cum opem aliam amico nullam ferre posset, edoctum de periculo suo Dauidem monet, vt fuga salutem quærat. In exsilio etiam verbis solatur eundem, & fœdus cum ipso ictũ constanter tuetur, nihil sibi acerbius accidere posse ostendens, quam calamitatem tantam amici immerentis. O summum vitæ præsidium ornamentumq; amicitia? ô auro & opibus omniq; Persarum Gaza potior, omnib. gemmis præstantior beneuolentia & amicitia fidelis amici: ô vitæ lux & secundarum rerum ornamentum & aduersarum lenimen: Hæc amici periculum curat æque ac suum: hæc prospicit, hæc auertit: hæc etiam seipsam periculis vltro obijcit, vt ijs amicum eripiat.

PIE-

XIIII.

PIETATIS PRIVILEGIVM.

1. Reg. 21.

DAVID exsul in fuga sua comedit panes Sacerdotum, & accipit gladium Goliathi, qui tanquam anathema ad tabernaculum Dei dedicatus sacer tunc erat.

Nuda & inops pietas, non vim, non perfida fraudis,
Sed petit æterni munera consilij.
Arcanis Deus hanc donis vulgoq; negatis
Et iuuat & saturat & bonus amplificat.

EXPLICATIO.

Fugiebat Dauid Saulem inops & rerum omnium egenus: inq; hoc exsilio suo nihil opis vspiam inueniens aut expertus ad Sacerdotem confugit, & panes sanctos comedit, atq; accipit gladium Goliathi qui tanquam donarium ad tabernaculum Dei dedicatus sacer tunc erat. Fallor? an vltro videt quisq; quid hæc moneant? Scilicet hæc imago pingit vitam sanctorum, donec ipsos hæc vita detinet. Illis mundus negat auxilium: Nec auxilium modo negat, sed omnia extrema etiam parat, vi & egestate ipsos perdere parans, cum palam, tum fraude occulta. At quid Dauid? num malum malo rependit, ἥλῳ ἦλον ἐκπρώων, vt dicitur? Non ita homo pius ad sui defensionem incumbit. Non ille vim non perfidiam, non fraudes adhibet, ne quidem si maxime possit. Alio longe apparatu se instruit. Contra penuriam & inopiam huius vitæ cibo cœlesti se pascit, hoc est respectu beatissimæ opulentiæ, quam ipsi præstat Deus. Hoc ille pastu mauult frui, quam lautissima impiorum sagina pinguescere. Contra vim, arma, & minas mundi ex sacrario Dei petit gladium Spiritus. Gladius is est promissio protectionis. Gladius is est certa fides potentiæ diuinæ valentis, & voluntatis promte volentis suos defendere. Gladius is est consideratio tot exemplorum de insignibus liberationibus verbo Dei propositorum. Neq; vero fideles Deus aut destituit aut tentari patitur vltra vires, vltra quam sustinere possint; sed opportune iuuat, sicut ipse inquit: Sperauit in me, liberabo eum, &c. Psalm. 91. Ergo illam arcanis modis promouet ac ducit e virtute in virtutem (Psal. 83.) e claritate in claritatem: (Corin.) semperq; vberius donis suis illam exornat, semper cumulatiore mensura suis munera sua admetitur, donec tandem totum velut patrimonium bonorum suorum ipsis tradat.

PRV-

XV.

PRVDENTIAE TVTELA.

1. Reg. *21.*

DAVID in exsilio suo ad Achis regem Gethæum diuertens, & insidias sibi parari intelligens ab aulicis, insaniam simulat, ne a rege barbaro lædatur: quod alioqui futurum erat.

Crimina dira odij, vim, spem, studium q̄ nocentū
Eludit pietas casibus in subitis.
Viua fides maneat, trepidæ solertia rebus
Deseret hanc nunquam destituetve comes.

EXPLICATIO.

At hoc quidem quid est aut quale est, quod regem & aulam omnem simulato morbo Dauid ludificatur ac decipit? Istane vero vulpinas exuuias assuere licet viro bono? cum dictorum factorumq; omnium generalis lex sit: Ne mendax fueris, sed verax esto semper? Vnde profecto sequitur, improbum esse, quicunq; studeat speciem protexere rebus ambiguam, aut fallacem adhibere colorem ad homines decipiendos. (Sic aliquis Dauidi obijciens crimen simulationis mendacis & hypocriseωs. Subijcitur Dauidis excusatio, ostendens quatenus & quo pacto pietas simulatione dissimulationeve vti possit.) At longe aliud est mentiri & nectere fraudem, quam in periculo auertendo declinando q; prouidum esse, cautum, prudentem, circumspectum, cordatum. Quod vetus Tragœdia ψεῦδος ὅπη σωτηρία vocat. Aliud est, impostura ac dolis circumuentos alios lædere: aliud, ad se sine iniuria proximi liberandum pro re nata consilium atq; artem adhibere, ita omnia agentem ac dicentem, vt ad finem verum, qui est conseruatio iustitiæ, tuiq; & aliorum seu proximi defensio, semper se aliquis referat: Aliud est defraudare proximum bono aliquo ipsius, aliud, nostrum bonum, quod incommode proderetur, prudenter celare. Neq; vero mendacij naturam, vim, speciem semper obtinet simulatio, aut semper nefas est illa vti. Sunt præterea aliud, negotia seu res mundi huius: aliud illæ res, in quib. gloria Dei vertitur. In posteriore rerum genere verum est, simulationi & dissimulationi locum non esse. Non est autem idem etiam de priore verum. Sic parentes multa celant pueros: Medicus ægrotum multa celat, sæpe etiam illum decipit. (Veluti pueris absinthia tetra medentes cum dare conantur, prius oras pocula circum,

Contingunt mellis dulci flauoq; liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaq; non capiatur;
Sed potius tali facto recreata valescat: vt ait Lucretius)

Lib. 4. Sic bonus & prudens magistratus subditis suis multa occultat, quæ scire ipsos esset non solum inutile, sed etiam pernicioſum. Sic mercator furi aut latroni gemmas & aurum suum non commonstrat. Deniq; sic communis rationis lex iubet, declinari euitariq; periculosum negotium quodlibet iubet, arte & consilio euentus & casus minus com-

commodos commode corrigere (quasi cum ludas tesseris, si illud quod est maxime opus iactu non cadit, illud quod cecidit forte, arte vt corrigas: vt est apud Terentium.) Neq; tamen hæc fraus est mox perhibenda aut simulatio. *Adelph.*

Ad summam, *Si vitæ pietas sit dux, tum cautio solers*
Subleuat hanc recte subsequiturq; comes.

(Quicquid huc vsq; diximus, consideratio est generalis, & quæstio vt Rhetores vocant, infinita, An homini pio hoc conueniat, vt sui defendendi caussa simulatione interdum vtatur. Sequi debebat Hypothesis: Sic Dauid pie recteq; faciebat, quando periculum imminere sibi animaduertens, aulam cum rege ludificatur, sibiq; hoc pacto salutem quærit. Sed iam in thesi subsistimus breuitatis studio. Posset deinde hoc factum alijs exemplis illustrari. Sic Christus tali vtitur ἐπινοίᾳ, vt Euangelista vocat, accepto nuntio de nece Ioanni Baptistæ per Herodem allata. Sic Paulus cum ei negotium esset cum Iudæis, tali vtitur strategemate, vt ad Cæsarem prouocet Romam, &c.

SPECIMEN CARMINIS DE HOC ARGVmento propositum discipulis a M. Bergio.

Hoc vero quid erat, quam regeq; Dauide dignum?
Quam res virtuti congrua & officio?
Mentiri subitum salua ratione furorem,
Deformi & vultum dedecorare nota?
Cumq; aula regem simulato fallere morbo,
Fraudeq; ab hac dubijs quærere rebus opem?
Ergone fraus adhibenda, vbi virtuti locus haud est?
Et quando esse lea non queo, vulpis ero?
At non hoc docuit vitæ sapientia rectrix,
Sic omnes quæ tam sepe monere solet:
Nil mendax vestris, nil vanum in moribus insit:
Sit factis semper consona lingua tuis.
Improbus est, quisquis virus prætexere fuco
Et specie fraudem pingere cautus amat. (vel auet.)
Dulcia secreto miscereq; mella veneno,
Et sentire aliud quam sua lingua sonet.
At longe est aliud mentiri & nectere fraudes,
Ambiguosq; mala mente parare dolos:
Quam res consilio nostras munire reperto,
Quam vitam tristi soluere fraude suam.
Est aliud vultum componere: virus in alto
Intereaq; malum pectore concoquere:
Quam sibi item q; suis solerti indagine mentis
Prospicere, in tuto resq; locare suas.
Deniq; res alia est, consutis perdere technis
Hunc, cui præsidio te Deus esse iubet:
Et nostrum (certo quod cum discrimine vitæ
Proditur) arte pia subticuisse bonum.
Nec sic mendacij speciem simulatio semper
Obtinet, vt quoduis sit simulare nefas.
Sunt quoq; longe aliud, mundana negotia, resq;
Quæ cultum minuunt amplificantue Dei.

Hinc

Hinc ars callidit as q̃, hinc omnia ficta faceſſant:
Hic totum debes pectus habere palam.
Illic res varia prudentia temperat arte,
Vt ſimul vtilitas, vt ratio q̃ iubet.
Sic puerum celant cari per multa parentes,
Celat & ægrotum multa bonus medicus.
Ipſe magiſtratus non indicat omnia vulgo,
Prodita quæ rebus pernicioſa forent.
Et mercator item gemmas non monſtrat aperte
Illi qui prædam cæde doloq̃ petit.
Deniq̃ natura lex hoc ratio q̃ requirit,
Vt vites quæuis ſponte pericla tua:
Cumq̃ cadant varie res, vt ſolertia rectrix
Euentus docta corrigat arte graues.
Si vitæ pietas ſit dux, dum cautio ſolers
Subleuat hanc recte ſubſequitur q̃ comes.

XVI.

PRVDENTIA PIETATIS COMES.

1. Reg. 22.

ABiathar filius Abimelechi post patrem & omnes cognatos a Doëgo Saulis iussu trucidatos ad Dauidem confugiens, ab illo in tutelam recipitur, agnoscente & fatente, sua caussa in hanc miseriam ipsum deuenisse.

Excipit & miseros virtus, comitesq; tuetur,
Exceptosq; bonis instruet officijs.
Hanc tenet exercens pietas & cura suorum,
Illa dolet prius quam sibi consulere.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Sic est mundus, & sic in eo viuitur, sic sunt mores hominum, quoquo te vertas: Felicium multi cognati. Et contra:

Nulla fides vnquam miseros elegit amicos.

Τοῖς ἐυτυχοῦσι πάντες εἰσὶ σύγγονοι.

Ανδρὸς δὲ δυσ-τυχοῦντος ἐκποδὼν φίλοι.

Hinc quidam in miseria defertus exclamat: *Φίλων ἔρημος, ὦ τάλας ἀπόλλυμαι.* Appellat te aliquis potens & diues, gaudes, gratum est, amicum te illi probare studes, beatus tibi videris illius amicitia. Pauper ité ad te venit, ibi vero mox: Quis tu es? quis mihi es? quid mihi tecum rei est? non noui te. Fitq; vt illud Homericum quæratur: *Τίς; πόθεν εἶς ἀνδρῶν; ποῦ τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες.* Quod si maxime sit propinquus, necessarius, amicus, cognatus: tamen quia eget, ignoratur genus, nesciuntur parentes, negligitur ipse, secundum Comicum: Aut si quis paulo honestior videri vult, nec inhumanè perhiberi studet, quæruntur prætextus, quales multi excogitantur, cum aut facultas deesse dicitur, & opes paruæ non ferunt, vt opituleris. Ipsi mihi opus est, inquis: Caritas ordinata incipit a se ipsa: aut tempus prætextitur minus commodum: hodie non vacat, cras redi: aut similia quæruntur effugia. Quod si præclare se aliquis gerat, illud se profitetur sequi quod dicitur: Tunica pallio propior est: *ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνάμα*, vt ait Theocritus: id est, Genu sura propinquius: id est sollicite computat, vt tum demum misero alicui benefaciat, cum nemo vel ipsi sit propinquior, qui beneficium postulet, vel alteri præstet. Inter amicos, inquit, alius est alio propinquior vel remotior. Natura autem hoc æquiss. est, vt prius proximioribus succurratur, quam ad remotiores perueniatur. Qui exemplum petit, is medio in flumine aquas quærit. Aspice quaqua versum in mundo: comperies, ita rem habere. At non sic se gerit virtus vera, quæ a Spiritu S. in animis hominum Deo dilectorum excitata est. Hæc nimirum miseris præter meritum suum & sine sua culpa sese & sua omnia cõmodat vltro: non illa exspectans, donec obligatione ciuilium legum compellatur subuenire (nouit n. quam angusta sit innocentia, ad legem bonũ esse: & quãto latius pateat officiorũ quam iuris regula: quam multa exigat pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides, quę extra publicas tabulas sunt) sed ipsa vltro causas sibi subijciẽs, quib. ad opitulandũ miseris exstimuletur. Easq; causas ita considerat, vt nullis reb. se patiatur a benefaciendo absterreri, adeoq; causã miserorũ cum sua cõmunẽ facit.

Senec. 2. de ira cap. 27.

Eius rei specimen insigne rursus proponitur nobis in theatro virtutis, quod historia Dauidis nobis explicat. Effugerat ex cæde sacerdotum Doëgo auctore facta Abiathar, filius Ahimelechi, qui Saulis iussu cum omnibus suis fuerat trucidatus: Fugerat inquam hic, & iam exsul ad ipsum quoq; exsulem, inops rerum omniũ ad ipsum quoq; inopem Dauidem. Nec mora: Dicebat Dauid, mea causſa parentem tuum sustulit, & haud merita morte affecit: vtq; pater tuus propter me mortuus est, ita tibi quoq; video extrema omnia mea causſa metuenda esse. Ergo me tibi defensorem dabo: Te socium habebo non tantum nunc in ærumnis, sed tum quoq; cum regno potiar. Dixit, & euentu mox respondente, sacerdotij summi dignitatem illi restituit, non minus illi, quam sibimet ipsi consulere satagens.

VIRTV-

XVII.

VIRTVTIS VERAE LIBERALITAS.

1. Reg. 23.

IOnathas Dauidi cedit ius regni paterni, & fœdus cum eo percutit super hac cessione.

Sancta fides iunctos animos confirmat, & arctis
Innodat sacri nexibus officij.
Sponte bonum petit atq; colit, cedit q; supernis
Legibus, & præfert, quem Deus ante tulit.

EXPLICATIO.

Aurum & opes & regna concedit amicus amico, cuius quidem animum virtus vera, & perpetua virtutis comes modestia regit: Modestia, inquam, cuius est ambitionis impetus temerarios coërcere, non despicere alios, sed magnificere: Dei dona in illis agnoscere & honorare: de se nihil altum cogitare, sed omnium minimum sese putare. Talis Ionathas Dauidi cedit, cum ipse omnium gentium more aciure regni hereditatem sibi vindicare posset. Cedit inquam Dauidi, in quem illud a Deo translatum iri intellexerat: cum quidem causſas multas Dauidi sese opponendi habere videretur. Primum enim diu tenuerat summum a rege locum. Deinde maximis rebus gestis summis heroibus par haberi poterat. Tertio, more omnium gentium heres esse debebat. Denique amicitiæ iure a Dauide, quem semper defenderat, hoc postulare poterat, vt regnum ipsi relinqueret. At quia in eo lucet pietas, sponte cedit Dauidi, nihil loci dans flammis & incendijs affectuum, qui & ipsum hortabantur, vt de primatu vel primo loco obtinendo contenderet: Sed maxima animi moderatione præfert sibi eum, quem Deus præferebat: præsertim cum sciret, quantis periculis plenus esset principatus, & quam laboriosus illum gerenti: cumque e diuerso intelligeret, quam bene viuatur priuatis hominibus ab aula procul remotis. O si sequerentur hanc indolem homines: ô si ad hoc exemplum incendia ambitionis, quæ tristissimarum dissipationum sæpe causſæ sunt, frenare & reprimere discerent: Non tunc esset tantum turbarum, non tantæ passim æmulationes & certamina de priore loco, non tot bella in mundo, non tot bellis quateretur orbis, alio alium sceptris excutiente arq; exuente, cum plurimorum mortalium interitu. At tu, ô pubes tenera, disce animos frenare tuos: disce humilitatem ac modestiam sequi: disce ambitionem odisse & fugere: vtq; id queas, disce primum bene cogitare, quã tetra sit hæc pestis, aspiciens exempla Atrei & Thyestis, Eteoclis & Polynicis, Romuli & Remi, & horum immania & parricidalia facinora ex ambitione & æmulatione orta tibi propone. Neq; tales flammas in te forte animaduersas ale aut foue, sed mandatis Dei exstingue, & exemplis melioribus ad modestiam contrariam te assuefacito, flectito, componito. Hæc modestia & hic animus plus habet laudis apud DEum & homines recte iudicantes quam totius orbis terrarum imperium tenere.

FORTI-

XVIII.

FORTITVDO INNOCENS.

1. Reg. 24.

SAul dum perſequitur Dauidem, in Spelunca Dauidi traditus non occiditur ab hoc, ſed chlamydis lacinia præſecta incolumis dimittitur: Poſteaq; agnoſcit & ſuum peccatum & Dauidis innocentiam, qui maluiſſet ſocerum ſeruare quam perdere, vindictam quidem DEO relinquens, hoſtem vero ſuum hoc pacto ad manſuetudinem flectens.

Afficit exiguos animes, mentesq́, minutas
Vltio, magnanimis non bene grata viris,
Non eſt. vt poßis inimicum perdere, tanti,
Quanti animam vt ſoſpes. debeat ille tibi.

EXPLICATIO.

Bestiæ irritatæ efferantur, læsæ dolent, pugnant lacessitæ, seq; & vitam suam modis omnibus defendunt. Et hactenus quidem illas imitari licet, dum nulla melior mali vitandi via est: Interim tamen eædem beluæ docent illud quoq;, vt fuga potius periculum imminens declinetur. Id enim illas fere videmus facere, præsertim quæ non sunt ex genere illo immaniore & rabiosiore. Ergo negligit vltionem vir bonus, ac studet potius bene mereri de inimicis, & ita eos sibi placare, quam malum malo pensare & perimere se perdere cupientem. Contra futilis & infirmi animi est, vindictam adamare & voluntatem ex ea capere. Muliebre est inquam, tali cupidine flagrare, vt tu pias vel cum tuo malo vlcisci hostem: sicut Hecuba, quæ

Τὸν ἐχθρὸν αὖτῆς ἄνδρα τιμωρεμένη,
Αἰῶνα τὸν σύμπαντα δουλεῦσαι θέλῃ: hoc est, vel sempiternam subire seruitutem non recusat, dummodo hostem suum vlcisc atur. Vnde Iuuenalis Satyr. 13. *At vindicta bonum vita iucundius ipsa.* Sed addit indoctis ita videri, non autem mitibus & sapientibus, apud quos minuti semper & infirmi est animi, exiguiq;, voluptas vltio.

Aspice vero vtrorumq; consequentia, tam eorum, qui magno & miti animo vindictam contemnunt, quam eorum, qui muliebriter eam expetunt. Mites sunt beati, sunt longæui, hereditatem terræ cernunt: Sæuitia cito despumat, nec in longum fata sua producit. Nullum enim violentum diuturnum esse potest. Talis Dauid Sauli parcit, hosti licet capitali, & cum alias, tum in spelunca facultatem eius occidendi nactus, tamen manum abstinet. O macte animi iuuenis, qui mauis flectere illum, quem poteras domare: Qui studes conuertere & seruare hostem tuum, quam ferro incautum superare. Discesequi exemplum, quisquis es: Benefac etiam malo. Si malus esse perger, funestam ei plagam ipso beneficio dedisti: carbones ignitos in ipsius caput congessisti: Te vero ea re commendabilē efficies, & maioribus rebus dignum. Sin est sanabilis, arctissime conciliatum tibi deuincies.

SPE-

SPECIMEN CARMINIS EIVSDEM ARgumenti, a M. Bergio discipulis propositum.

LAESa dolet, stimulata fremit, violata repugnat,
Lædentemq; studet lædere posse fera.
Hactenus & tibi mos hic est impune sequendus,
Nullum aliud quando cernitur effugium.
Quæ tamen hæc docet, illa simul documenta ministrat
Altera: vt euites qua pote cunq; via,
Ne sit pugnando in cædis discrimen eundum,
Sed parcas alij non minus atq; tibi.
Sic fera dum potis est sese subducit abitq;,
Qua via cunq; illi diffugiumq; patet:
Sit modo de genere hoc, non immanissima cui vis
Insita, cultura semina rara ferat.
Qui pius est fortisq; animi acrem reprimit ignem,
Vltio ne freno liberiore ruat.
Quin etiam immeritos meritis cumulare laborat,
Officioq; malum pensat & obsequio.
Futilis abiectiq; animi est mentisq; pusillæ,
Vindicta ad facinus exstimulante rapi.
Est inquam muliebre, ardere cupidine tali,
Vulnere qui facto reddere vulnus auet.
Seruitij iuga ferre Hecube grauia annuit, hostem
Dummodo pro meritis sit prius vlta suum.
Aspice qua mites sors, qua contraq; sequatur
Vltisci cupidos vltio, quamq; grauis.
Fata solent mites comitari mitia: contra
Cum tumet asperitas illico detumuit.
Dauida cerne pium. Saulem is mulctare prehensum
Quibat, in obscuram dum venit ille specum.
Abstinet ipse tamen dextram, patiturq; reuerti
Incolumem, a quo se nouerat ipse peti.
Macte animi, macte ô puer inclyte: flectere malens
Cædere quem cladio iure fauente queas.

Macte animi ô iuuenis: potius seruare inimicum,
Quam ferro incautum qui superare studes.
Qui pius es, sequere exemplum: facito q; benigne
His ipsis, tibi qui sæpe dedere malum.
Si malus est, bene cui facies, plagam accipit ipse,
Et Dominus reddet præmia digna tibi.
Ipsius accendens vrentem in vertice pruinam:
Tu vero hinc decus & nomina clara feres.
Sin bonus est, sancto tibi conciliatus amore
Officium officijs aquiparare volet.

INGRA-

XIX.

INGRATA AVARITIA.

1. Reg. 25.

Nabal impius & sordidus negat Dauidi auxilia.

Et res & tutas animas fiducia seruat,
Vicinus fortis cum subit atq; pius.
Innocuus tamen irritat vicinus auarus,
Accepti & lædit non memor officij.

EXPLICATIO.

Recte a sapientibus iudicatur, nihil esse melius, nihil optabilius vicino bono, qui præ fratribus & affinibus tibi calamitate aliqua presso succurrat expeditus & absq; mora. γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πανοι, inquit Hesiodus: ideoq; pronuntiat, quod

Ἐμμορέ τοι τιμῆς, ὅστ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ.

Themistocles quoq; prædium venale per præconem proclamans, cum commemoraret eius commoditates & dotes varias, in primis id hoc nomine commendabat, quod bonos haberet vicinos. Et Comicus autontim. senex vicinitatem in propinqua parte amicitiæ putat. Qui sapis ergo tibi tales omni obsequio demerere atq; deuinci: neq; fac Nabalis illius prædiuitis sed stulti instar, qui etsi omnibus rebus abundans, tamen sordidus atq; auarus in diuitijs tantum luxuriari ipse & sibi soli viuere, nemini benefacere solebat. Frustra illum sollicitat Dauid, vt commeatu instruat atq; adiuuet bene de ipso meritos. Quin etiam impiæ desertionis iniuriam verborum cõtumelia cumulat, homo in auaritia etiam crudelis & improbus, quando Dauidem suum tribulem tanquam fugitiuum & perduellem vituperat & ipsi maledicit. Quid vero euenit? aut quid effecit morosus ille & vere agrestis? Nimirum id quod dicitur: κῆ πανυτὸν δεδάκη' ἐρεθιζέμεν ἀνέρα λώβῃ, id est, Quamuis prudentem irritare iniuria soleat. Versus est Naumachij: ex quo Laberius hunc mimum suum sumsisse videtur:

AEquum animum indigna iniquat contumelia.

Petulantia enim & feritate ista ita exarsit vir fortis, vt constitueret & ipsum Nabalem & totam ipsius domum ferro euertere: facturus ĕt quod minabatur, nisi ipsum Abigail, pia ac modesta fœmina occurrẽs precib. suis & liberalitate mitigasset. Ille tamen iniuriæ huius auctor stolide improbus (μωρόκακος) pœnam suis factis dignã mox inuenit, nequicquam parcente ipsi Dauide: nequicquã defendente eundẽ per suã prudentiã & virtutẽ pia & proba cõiuge: pœnam inquam factis suis dignã inuenit, quando & de Dauidis iusta iracundia, & de periculo, qvix euaserat, terrore concidit, Deiq; manu percussus animam temulentam impius euomuit, indignus scilicet, qui Dauidis manu occideretur: vtrumq; docens vel supplicio suo, primum quod homines opulenti auaritiæ sordes cauere, neq; sibi solis opes suas vindicare debeant: deinde quod pro officijs a proximo acceptis liberaliter mercedem soluere debent illi, qui facultates & rem habent.

PRV-

XX.

PRVDENTIA SALVTARIS.

1. Reg. 25.

ABIGAIL cum muneribus occurrens commoditate sua Dauidem iratum placat.

Excipit incensos iratum fulminis ignes
Prudens sermo pio sedulus obsequio.
Pectoris ingenui feruor placatur honestis,
Et gaudens cedit vocibus ac monitis.

EXPLICATIO.

Sic tibi contingat maritus Nabale melior, ô fœmina laudatissima, vt tua prudentia oportunè obuiam veniens malo impendenti multis hominibus est salutaris. Tu cum ante hac raro exemplo virtutis stulti mariti mores tulisti, omni commoditate ipsum tractando, tum iam in maximo discrimine atrocis tempestatis quasi salutare quoddam sidus exortu tuo componis tumultus & turbas: quando stultum tuum maritum cum omni familia periturum, e manibus Dauidis & præsenti vitæ discrimine eripis ingenio tuo & beneficentia. Vsq; adeo verum est, quod commoditas & mollis sermo mitiget iram, cum e diuerso asperitas eandem prouocet: Adeo item commoda res est sapiens & bona mulier. *Sit tibi victuræ mulier dignissima famæ*

1. Sam. 25. & 26.

Gratia: sit, virtus quo tua digna, decus.

Tu quoq; proijce tela manu iuuenum fortissime, neq; vlterius indulgeas furori. Satis sit pœnæ & supplicij supplicium sumere voluisse. Quanquam enim dignissimus erat Nabal qui occideretur, tu tamen indignus, qui manus innocuas hac cæde contemeres, aut contamines. Nempe bonæ mentes sunt sanabiles, atq; etiam ad iram prouocatæ, humanitatem tamen non exuunt. ἀκεσταὶ δὲ φρένες ἐσθλῶν. Neq; vero vnquam quemquam pœnituit peperciisse alijs, aut iræ suæ moderatum, iniuriarumq; oblitum fuisse. Proinde neq; tu dubites iniuriæ acceptæ obliuisci. Nonne vides vt feræ nobilioris & generosioris indolis vt leones, parcant subiectis & prostratis, ac non nisi in hostes expediant suas vires? Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet. Has imitare. Neq; vero metuendum est tibi, ne vel Nabal impius pœna, vel tu præmio careatis. Deus videt.

Mœror abi: mens læta redi. Deus omnia cernens
Tandem istum, qui te iam premit, inueniet.

Fortasse mox erit, vt sui ipsum mores grauiter vlciscantur: Et contra, tu potiaris illis ipsis, quæ iam ipse possidet: quando hæc, quæ iam stulti mariti culpam supplex deprecatur, in thalamos veniet fida marita tuos, cum fortasse stulti viri opes ad te perferet, comes ac socia exsiliorum atq; ærumnarum tibi fidelis futura.

REVE-

XXI.

REVERENTIA SOSPITALIS.

1. Reg. 26.

DAVID noctu superueniens Sauli in tentorio suo cubanti, & inter satellites dormientes ipsi quoq; dormienti, cum violentas inferre manus posset, parcit tamen, & hastam ac scyphum ipsius aufert, quibus postea probet, se potuisse ipsum, si voluisset, occidere.

Inuidiam, fraudes, consulta iniusta minasq̃
Quis putet officijs vincere posse bonis?
Pœnituit sortem nullum potuisse querelas
Vlcisci propria, nec voluisse, manu.

EXPLICATIO.

Quæ cum diuinæ tum humanæ literæ partim præceptis, partim exemplis propositis, nobis inculcant, de diligendis omniq; officio promerendis etiam alienis, immo etiam inimicis, ea vnusquisq; nouit. Neq; est aliquis ita imperitus rerum, qui non se quoq; illa præclare alijs explicare posse credat. Sed dum quisq; hæc recte dici profitetur, ijsdem tamen nemo obsequi studet: ad ea potius plenis velis auferimur & concitato cursu contendimus, ad quæ affectus vnumquemq; sui rapiunt, quicquid dictet ratio & consilium sanius. Perinde vt olim quidam Poeta Epigrammate breui confessus fuit, Stoicorum de virtute doctrinam videri quidem sibi plane diuinã & veram, sectatoresq; eius omnium hominum optimos: Ceterum se tamen Epicuri castra sequi; & voluptati præ omnibus in vita rebus primas tribuere.

henæo tri-
tur a Laer-
n Antisthe-
& Zenone.
r. Anho-
tit.
ἀρετὴν εἶσ
ηλον.

(Ὦ χωϊκῶν μύθων εἰδήμονες, ὥπαναίεισα
Δόγματα τᾶς ἱερᾶς ἐνδέμβυοι σελίσιν
Τὰν ἀρετὰν ψυχᾶς ἀγαθὸν μόνον. ἆδε γὰρ ἀνδρῶν
Μούνα καὶ ἐιστὰν ῥύσατο καὶ πόλιας.
Σαρκὸς δ' ἡδυπάθημα φίλον τέλος ἀνδράσιν ἄλλοις
Ἡ μία τῶν μνήμης ἤνυσε θυγατέρων.)

Hoc est:

Aurea sunt, fateor, totiq; salubria vitæ,
O Stoici, vestris dogmata scripta libris:
Rebus quod cunctis virtus antistet, & vna hæc
Publica res simul & priua vigere queat.
Suauia sed quærenda homini quæ tradidit, illi
Est Sophia ante omnes maxima vbiq; fides.)

Sic maxima pars hominum, quæ lata illa via vadit, quæ ad perniciem ducit, & sentit & iudicat. At ea pars quæ est minimum in maximo, quæ angusta illa via incedit, quam Deus præscribit, meminerit sedulo, non esse pro malo reddendum malum, sed malum bono vincendum esse. Neq; hoc studium deserendum est, etiamsi sit aliquis expertus aliquoties, se frustra niti & in id incumbere. Eo modo Dauid soceri sui inuidentiam, fraudes & consilia iniusta non desinit officio & pietate pensare

sare. Qua in re præter diuinum mandatum, quod vetat iniuriam iniuria retaliare, quod sanguinem humanum fundenti atrocissimam pœnam denuntiat, nunquam non persequi solitam homicidas: præter hæc ergo illud quoq; sibi proposuit vir heroico animo præditus, quod neminem vnquam pœnituit vel hostem quoque suum, quem seruasse poterat, non perdidisse.

SPECIMEN CARMINIS DE EODEM ARgumento, a M. Bergio discipulis propositum.

Vera quidem cecinit virtuti encomia Zeno,
Turbaq; Zenonis dogma secuta sacrum:
Quod virtus palmam rerum ferat vnica, quarum
Se studio humanum macerat vsq; genus:
Quod primas rerum hæc merito ferat vna bonarum,
Singula conseruans, omne simulq; genus.
Ipse tamen porcos Epicuri de grege sector,
Castraq; Cecropij desidiosa senis.
Sic aliquis quondam officij & virtutis amantes,
Dum verbis laudat negligit ipse sequi.
O seclum, ô mores mundi præsentis? in illa
Nunc etiam hæremus maxima pars salebra.
Ecquis enim nunc est, quin confiteatur abunde
Officij sese rite videre modum?
Inueniasne aliquem, qui de virtute pioq;
Non pulcre fari se quoq; posse putet?
Qui non se alijs vitæ præbere magistrum
Ausit, & officij quasq; fungare vices?
Moribus interea doctrinam hanc ipse refellens,
Nec pergens hanc, qua debuit ire, viam.
His adeo studijs, hu moribus exigit æuum
Maxima pars, estq; hac trita frequensq; via.
Trita frequensq; sed hæc vt sit via, non tamen illa
Carpitur, ipse Deus quos sibi sanctificat.

His, inquam, quos vasta aliorum in mole chaosq;
Exiguos quouis tempore mundus habet.
Qui cœtus coram Domino magni obtinet instar,
Omnibus & maius rebus habet pretium.
Ille viæ insistens quam verbi regula monstrat,
Ponderat officij sic reputatq; vices,
Vt quæ fixa imis gestat sub sensibus, illa
Moribus & factis perficienda putet.
Iccirco & reliquus in vitæ partibus illud
Exsequitur, quod res quod ratioq; iubet:
Et vero ex æquo meritis cumulare merentes
Egregijs gaudet, non meritosq; simul.
Nec, licet euentus spem sæpe fefellerit, hoc se
Abduci à studio propositoq; sinit.
Sic fraudem insidiasq; sibi let humq; parari
A socero contra fasq; piumq; Dauid.
Cum cernit, frustraq; huic se feciſſe beningne
Iam toties, frustra vim tenuiſſe malam:
Non tamen abſiſtit benefactis tendere contra,
Et virtute malum vincere & officio.
Scilicet expendens, quam vere heroica ſit res,
Cum poßis, alijs nolle nocere tamen

PIETAS

XXII.

PIETAS ASSERTRIX.

1. Reg. 30.

DAVID Siceleg ab Hamalekitis hostibus capta prædones persecutus prædam abactam recuperat.

Ira, dolorq; pius, prudentia, spesq; fidesq;
Prælia pro natis coniugibusq; adeunt.
Excipit instructum his animum victoria pulcra,
Quam neq; anara notis inficit inuidia.

EXPLICATIO.

Quando viro forti arma induit manifesta iniuria atq; indigna calamitas innocentium, & quidem eorum, qui ipsius tutelæ commissi sunt, tum illud fit, quod ab ipsius persona non est alienum. Et hi labores tanto sunt laudabiliores, quanto sunt difficiliores. Talis erat Achilleæ indolis ardor. Illum Aiax quondam interrogabat, Quosnam labores habuisset omnium in vita grauissimos: Ibi ille, Quos pro amicis, inquit, suscepi. Iterum interroganti Aiaci, Quos igitur iucundissimos, iterum respondit: Pro ijsdem. Præclare quidem Achilles in hoc, vt & in alijs multis, & sensit & locutus est: Veruntamen Achilleum hoc robur sæpe multum delinquit, cum non regitur pietate & prudentia debita, nec ad finem verum refert suas actiones: sicut plerunq; magnæ & vehementes naturæ in hoc peccant: Quippe quæ gloriam suam ac pompam fere tantum sibi proponunt, non salutem veram suorum. At longe melius & sanctius exemplum cernimus in Dauide, qui non modo pro dignitate & gloria, sed principaliter pro lege & pro grege dimicat, vt est in symbolo Alphonsi regis. Irruerant in oppidum illud, vbi Dauid commorabatur, hostes, prædam inde abigentes. Hos ille insecutus ad internecionem profligauit, & prædam recuperauit. Sic Dauid. Atq; in tali causa potest aliquis egregie esse fortis, omniaque audere etiam extrema: certus, si vel occumbat in tali proposito, nihil mali sibi accidere. Et vero tales etiam victoria comitatur, Deo tuente iustos & iusta facientes pro sua vocatione, in fiducia opis & auxilij diuini. Et talis herois victoria vere gloriosa omniq; inuidia altior est.

SPECI-

SPECIMEN CARMINIS DE EODEM ARgumento, propositum discipulis a M. Bergio.

SI quando clades iniustaq; damna suorum
Commiserans princeps prælia iusta ciet.
Iarumq; pias acuit sub pectore flammas:
Heroo dignum pectore præstat opus.
Vnde ipsi laudum series tanto amplior exstat,
Curarum quanto plenius illud erat.
Talis Achillei fuit olim pectoris ardor,
Cui nullum similem terra Pelasga dedit.
Dixerat huic Aiax: Quænam, fortissime, dura
Præreliquis vnquam quæso adysti opera?
Reddidit ille: opus haud mihi durius accidit vllum,
Quam quod amicorum ferre coegit amor.
Rursum ille: At tibi quis labor optatissimus ergo est?
Quo defensa mihi est turba propinqua, refert.
Optima Achilleæ sane est sententia mentu,
Dignaq; nostri etiam carminis elogio.
Sed tamen hoc robur multum delinquit Achillis,
Cum sine consilio est & pietate caret.
Debitos ante oculos quando nec finis habetur,
Ad quem consilium quodq; referre decet.
Vt solet heroum hic hærere in pectore æstus,
Quando hos præcipites igneus ardor agit.
Quippe quibus propria est cunctorum meta laborum
Gloria: quis splendor pompaq; lauta magis,
Quam cognatorum est curæ fortuna salusq;,
Vera inquam & nullo fine premenda salus.
Sanctius exemplum poterit præbere theatrum,
Quod spectandum aperit Dauidis historia.
Non ille, vt terras suæ nomina mittat in omnes,
Dimicat, aut his vt rem paret, arma capit.
Sed gladium aduersos inuictum stringit in hostes,
Pro lege vt sacra dimicet atq; grege.

Latronum paruam manus expugnauerat vrbem,
Ießidæ profugo quæ dabat hoſpitium.
Et populabundi tulerant ſecum obuia quæq;,
Infeſtas domibus ſubijciendo faces,
Iamq; illi prædæ ſeſe auctos eſſe putantes
Somnia iucundæ vana quietis habent,
Omnia tuta rati: ſubito cum interuenit heros,
Vindice latrones enſe ſimulq; necat:
Atq; ab eis prædam ſic rurſum extorquet abactam,
Inq; vrbem hanc omnem lætus ouansq; refert.
Talis cui cauſſa eſt pugnandi & talia fata,
Ille in diſcrimen fortiter ire poteſt.
Is tentare poteſt ad ſeq; ſuos: q; tuendum
Omnia, perq; poteſt rumpere cuncta mala.
Certus, vt vt rapiat conantem talia fatum,
Aduerſorum nil accidere inde ſibi.
Et vero talis palmamq; decusq; reportat,
Quod poſitum eſt telis altius inuidia.

TEMPE-

XXIII.

TEMPERANTIA REGIA.

2. Reg. 23.

DAVID in deserto inopia & periculis compressus optat haustum aquæ ex puteo Bethlemico: eamq; a tribus heroibus allatam per summum discrimen, attonitus audacissimo illorum facinore, recusat gustare.

Appetere haud mirum est: nocet at retulisse cupita:
Sed magis est, mentem non domuisse, graue.
Discrimen tolerare suo pro principe, pulcrum est:
Pulcrius at, cum rex hoc cauet ipse suu.

EXPLICATIO.

Quidam veterum dicebat: vt auiculas supra nos circumuolare nemo noſtrum prohibere poteſt: At vero ne capiti ipſius inſideant, facile prohibet: Sic appetitiones vagas, quæ in natura aſſidue cientur, nemo noſtrum vitare poteſt: vt autem illis obſequaris aut repugnes, id in tua eſt poteſtate. Atq; his in ſpatijs decurrit & exercetur id, quod in natura hominis reliquum eſt boni, & quod virtus appellatur: vt ſcilicet appetitiones malas ſeſe ſuggerentes, & ſæpe etiam quaſi ebullientes ac prorumpentes tanquam freno iniecto comprimamus. Dauidem mihi videas. Habitabat is in ſpelunca inter ſyluas & teſqua ferarum, egens rebus neceſſarijs, & hoſtibus vndequaq; cinctus. Nec quicquam opis ei alicunde oſtendebatur. Ibi vero incenditur deſiderio aquæ Bethleemiticæ: & data deſiderij huius ſui ſignificatione tres heroas inſcius permouet, vt aquam illam cum ſui capitis periculo adeptam Regi exhibeant: qui tamen ea vti recuſauit, oſtendens, ſe nolle cum periculo ſuorum cupiditatibus ſuis morem gerere. Error erat, & regis perſona indigna res, deſiderium ſuum aperuiſſe. Veruntamen temerarium factum ſuum mox agnoſcit & improbat, ſemetipſum caſtigans, &c. ſcilicet ſtulte facturus, ſi ſecus egiſſet. Nimirum quod principi curandum ſit, non vt ſubditorum virtute & laboribus ad delicias perfruendas abutatur: Sed vt ſuo labore & periculo ſubditi ſliceat eſſe quietis, otioſis & ſecuris: adeoq; oportet principem aliumue quemlibet magiſtratum & manus & oculos & animum habere abſtinentem, ne in bona ſubditorum inuolet. Quis vero vobis ô iuuenes egregii dignas laudes canet? qui pro veſtri Regis voto vitam veſtram in diſcrimen adducere non dubitaſtis. Vbicunq; in rebus hominum ſic agitur, ibi res florent & feliciter habent: hoc eſt, vbi & ſubditi certant regis ſui cauſſa periculum adire, & viciſſim princeps omnibus modis cauet, ne quid huius ſit neceſſe.

Regi vbi ſe ciuis pium approbat, eſtq; viciſſim
Princips hoc ſtudium parcere poſſe ſuis.

SPE-

SPECIMEN CARMINIS, QVOD DE EODEM hoc argumento composuit M. Bergius, & discipulis proposuit.

Quo minus hinc atq; hinc capiti circumuolet ales,
Quantumuis cupiat, nemo vetare potest.
Ne tamen in nostro faciant sibi vertice nidos,
Hoc opera facili quoq; cauere potest.
Sic animi affectus turpes vt pectore pessus
Exspuere ex toto, copia nulla datur.
(Vel: *Sic licet affectus, qui perquam sæpe cientur*
Exstirpare vlla haud prouidus arte queas)
Vt vites tamen, aut facias quod is obijcit ardor,
Te penes est: atq; hic libera turba sumus.
Hoc stadio, his spatijs, hoc tramite clauditur illud,
Quod virtus nobis dicitur & vitium.
Qui domat affectus vitioso e corde fluentes,
Virtutis rectum carpere fertur iter:
Qui vero indulget flammis errantibus, ille
Nomina virtuti dissona dignus habet.
Iesside mihi cerne. Is præter cetera luctæ
Illius exemplum suggerit eximium.
Ille inter syluas habitans & tesqua ferarum
Haud vllum humanæ munus habebat opis:
Cinctus & hinc te is atq; inde hostilibus, & se
Carnifici quæuis ne daret hora timens.
Ergo optat patrio laticem de fonte pusillum
Bethlemidos qualis nota rigatur humus.
Sermo trium heroum postquam peruenit ad aures,
Extemplo allatum, rex quod auebat, eunt.
Et iam illi reduces medijs ex hostibus vndam,
Ignaro rerum Isside obtulerant,
Cum Rex attonitus monstro, & sua vota retractans,
Haud tanti est, ait, hanc exsaturare sitim:
Nec placeant nobis tanta mercede parata
Pocula, quantumuis me sitis ægra coquat.

Scilicet error erat, res tanto indigna q3 rege,
Voce sui affectum pectoris exprimere:
Delicias q3 adeo vel solo agnoscere voto,
Delicias, per quas non licet esse virum.
Sed tamen agnoscit vitium hoc atq3 improbat illud,
Atq3 animi flammas reprimit ipse sui.
Scilicet acturus stolide indigneq3 fuisset,
Motibus illicitus si voluisset agi.
Quippe illud certum q3 exploratum q3 tenebat,
Otia quod non sint mollia agenda viro,
Qui regit imperio populos, pacig3 suorum
Consulere inuicta sedulitate studet.
Principis est etenim, affectus ita habere subactos,
Ne quando in vetitum dira cupido ruat.
Nec licet ex populi sua quærere commoda damnis,
Conciliare sibi mollia: dura suis.
Quod si blanda tamen sua forte venena voluptas
Insinuans (vt fit) pectora sollicitet:
Non leuis hæc etiam laus est, dare vela retrorsum,
Et voti vitium nolle fouere sui.
Sed autem ô iuuenes, fortissima pectora quisnam
Ornarit digni carminis elogio?
Quos tantum regis studium tenet, vt simul vltro
Tantum in discrimen profilysse iuuet.
Sic vbicunq3 agitur, felicia secula florent:
Prospera sunt quæuis, sic vbicunq3 agitur
Scilicet vt regi bene sit, plebs subdita curat,
Rex, vt sit plebi, nocte dieq3 studet.
Principis officium est affectus posse domare,
Atq3 animum placitu abstinuisse bonis.
Subdito at hoc animi decet esse, vt adire periclum
Pro duce vel capitu tempore quoq3 velit.

INGE-

XXIIII.

INGENVVS CANDOR.

2. Reg. 1.

DAVID dum habitat in oppido Siceleg, etsi Amalechitis profligatis victoria illustri & diuite præda potitus merito gauderet: cognita tamen Saulis & Ionathæ cæde, totiusq; populi strage acerbissime luget hunc tristem casum.

Religionis amor feruens, & publica cura
Priuata haud curat commoda & inuidiam.
Perpetuo est dignus regno, qui ferre labores
Et casus damnis prætulerit patriæ.

EXPLICATIO.

Commoda priuata, diuitiæ & opes plebeios animos solicitant atq; ad se alliciunt. Et his videas hoc studij esse, vt religionis, libertatis communis, honestatisq; communis iactura non recusent priuatam incolumitatem redimere, & affectibus suis obsequi posse. At vero quibus est melior vis naturæ data siue heroicę naturæ, quas Deus ad magnas ac salutares res gerendas excitat, longe alijs præditi sunt studijs. Hi priuato communi bonum anteponunt: hi commoda sua salute publica metiuntur ac definiunt: Religioni, pacі & quieti publicæ sua gaudia & suas spes posthabent. Horum ars est, iniurias patienter ferre: conuicia concoquere, & maledicta non verbis sed vita honesta refutare: pro hostibus vota concipere: iniurias accipere & insuper gratias agere, &c. vt qui norint, melius esse iniuriam accipere quam inferre. Tales fuerunt Græcorum illa lumina, Bion, Socrates, Aristides, Lycurgus, Pericles, Solon, Phocion, Scipio, alij. Ex quibus Aristides ostracismo Athenis eiectus, quod ceteris ciuibus iustitia antistare vellet, hoc (inquit) vnum vos, ô Dij, oro, vt tantam Athenienſibus felicitatem largiamini, ne vnquam eos eiecti Aristidis desiderium capiat, neue eius præsentis opera indigeant. Bion autem maledicum quendam obtrectatorem & conuiciatorem suum his versibus Hometicis affatus esse dicitur summa vsus moderatione:

ξεῖν᾽, ἐπεὶ ὅτι κακῷ κῆ ἀναλκίμῳ ἀνδρὶ ἔοικας,
ἴλεός τοι κῆ μέγα χαῖρε. θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν.

Id est:

Mi hospes, quandoquidem mihi vir bonus ac strenuus videris, vale & salue longum: Dij q; tibi omnia felicia largiãtur. De Socratis singulari atq; incredibili patientia animiq; moderatione cum alia commemorantur plurima, tum ista. Cum aliquando adolescens petulans per lasciuiam pugnum ipsi in os ingessisset, nihil ad hoc aliud Socrates nisi hoc: Vtinam, inquit, scirent homines, quando sibi galeatis in publicum prodeundum sit? Quod si ego præsciuissem, ab hac alapa tutus fuissem. Ita eum dimisit. Alio tempore cum ab alio non dissimili iniuria afficeretur, hortantibus amicis, vt hominem in ius raperet, sibiq; de iniuria satisfacere iuberet, respondit: Si me asinus calcibus feriret, num ob id eum in ius ambulare cogerem? Talis erat in primis Dauid: qui postquam ipse quidem lætissima victoria diuinitus ornatus erat, & proinde

inde merito gaudebat, Saule tamen in pugna cæso, cognito hoc aduerso casu tantum abfuit vt hoc nuntio lætaretur, vt potius contra in luctum sese acerbiss. daret, eumq; qui se percussorem Saulis iactabat, trucidari iuberet: Nimirum quod a suarum rerum consideratione aduersus totus esset in procuranda atq; expendenda publica Ecclesiæ & populi Dei calamitate. Hoc vero est vere patrem esse patriæ: sub talibus principibus florent régna, oppida, vrbes, iudicia, leges, Scholæ, Ecclesia. O Deus, dona nobis quoq; tales magistratus.

XXV.

PERSEVERANTIAE FRVCTVS.

2. Reg. 2.

DAVID iussu Dei Hebronem ascendit, & ibi a tribu Iuda Rex salutatur, Saule iam vna cum filio obtruncato.

Certa Dei promissa probat, quem spesq; fideq;
Exercent studijs obsequijsq; pijs
Nil hostis, nil damna obsunt, nil tempora longa.
Quicquid erit, dictum constat opusq; Dei.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Dei promissa cum non mox apparent, neq; oculis videntur, varie homines afficiuntur. Alij namq; fiunt apostatæ increduli, & sæpe etiam in ἐμπαίκτας furiosos euadunt, omnemq; religionem ludibrio habent, quibus nugæ sunt, quæcunq; de Deo eiusq; cultu & præmijs piorum & pœnis impiorum dicuntur. Omnia inquam eis videntur.

Rumores vacui, verbaq; inania,
Et par sollicito fabula somnio.

Vbi est, inquiunt, dies aduentus eius? Alij ad tempus credentes, cum euentus non respondet statim conceptæ ipsorum opinioni, fiunt etiam ipsi ἀκροαταὶ ὀπλησμονῆς, id est, auditores obliuiosi, quod genus

Audit, at auditis mox obliuiscitur vti.

Esto: Ita sane sunt res, atq; ita viuitur orbe in hoc, in quo minimum semper boni est in maximo mali cumulo. At quicunq; potest subditus esse Deo, & in ipsum sperare, & rebus in aduersis animum firmare atq; obdurare pia patientia, atq; ita in mandato officio perseuerare, is suo tempore experitur certam constantemq; diuinorum promissorum veritatem. (Nam vt est apud Theocritum:

Βαρδίζαι μακάρων ὧραι φίλαι, ἀλλὰ ποθ᾽ ἁμαί,

Hoc est:

Tardæ horæ superum: sed nil his dulcius vsquam est.

Et Euripides diuinitus hæc scripsit Ione:

Χρόνια γὰρ τὰ τοῦ θεοῦ, εἰς τέλος δ᾽ ἐκπλεύσεται.
Εἰς τέλος γὰρ οἱ μὲν ἐσθλοὶ τυγχάνουσιν ἀξίων.
Οἱ κακοὶ δ᾽, ὥσπερ πεφύκασ᾽, ὕποτ᾽ εὖ πράξαν ἄν.

Hoc est:

Tarda sunt quidem Dei promissa: sed tandem tamen
Viribus suis carent neutiquam. nam pij sua
Consequuntur præmium pietati debitum: Impios
Deserit fortuna, dignas vt scelerum pœnas luant.

Vel sic, eodem versuum Trochaicorum genere:

Numinis decreta lentos sortiuntur exitus:
Non ob id tamen est, quod quisquam ea arbitretur irrita.
Tandem enim innocentia a Deo exornatur præmijs:
Ceterum impios pœna & dignus factis manet exitus.)

Hoc agebat Dauid, qui dum regno promisso arcetur multis annis,

diuq; exsul & extorris per alienas regiones inter pericula vitæ & salutis miserrime iactatur: non desinit tamen Deo fidem habere, & in maximis difficultatibus canit suum illud: Iacta curam tuam in Dominum: & ipse educet te, neq; dabit in æternum fluctuationem iusto. Item illud: Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet: Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem: Subditus esto Domino & ora eum, &c. Ergo illi tandem feliciter euenit, quando deletis hostibus ipse regno præficitur cum omnium bonorum lætitia, & cum gloria tanto ampliore, quanto diutius erat indignissime afflictus. O grex pusille, quem Dominus prædicat beatum præ omnibus rebus, cerne hic exemplum tui. Idem hoc tibi euenit. Beatitas tua in hoc seculo non apparet: immo contraria potius & alia omnia tibi eueniunt, quam de te prædicantur. Prædicantur enim de te gloriosa, ô ciuitas Dei. Eueniunt autem tristia. At tu perseuera. Dabit Deus promissa vt appareant: dabit, inquam, opportune. Fremat contra illa hostis: quid tum? Omnibus hostibus potentior est Deus. Impedimenta obijciantur tanta, vt nobis impossibile videatur effectum iri illa quæ promissa sunt. Nihil hoc nos moueat. Damna omnia reparare, impedimenta amoliri, successum felicem largiri nouit Deus. Deniq; tempus vt maxime omnia humana domet atq; vincat, (παν δαμάτωρ γὰρ ὁ χρόνος) hic tamen nihil valet. Tempore diuina consilia non reguntur aut arctantur.

Psalm. 37.

Psalm. 55.

Psalm. 87.

SPECIMEN CARMINIS EIVSDEM ARgumenti, a M. Bergio discipulis propositum.

Quæ Deus in verbo credentibus optima spondet.
Si non euentus mox probat illa suus,
Tum vero mirus ratio turbata procellis
Naturæ affectus pro ratione ciet.
Huic mox sunt vuæ cœlumq; & numen, & omne
Nil nisi stultitia est religionis opus:
Nec dubitat dictis pietati illudere amaris,
Scommataq; in verum spargere dira Deum.

Sunt

Sunt alij, qui principio meliora secuti,
Cedere res cum non ad sua vota vident,
Admittunt animis auditi obliuia verbi,
Rebus in aduersis abijciunt q3 fidem.
Esto ita. nam tali ratione hic degitur æuum,
Praua vbi sunt paucis plurima mista bonis.
Virtutis grumos, vitiorum vbi cernimus Alpes,
Mundus ad interitum dum properanter abit.
At cui sancta animum munit patientia, quiq3
In Domino didicit spes posuisse suas:
Ille Dei, elapsis spatijs & tempore iusto,
Pollicitis certam comperit esse fidem.
Hac Dauid solitus sese exercere palæstra
Præbuit afflictus subdita corda Deo.
Ille Dei verbo populi rex dictus Hebræi,
Exsul & extorris tempora longa trahit:
Inter & ærumnas inter q2 pericula vitæ
Iactatus, fertur, ceu scapha victa Noto.
Nec tamen impatiens sortem mue accusat acerbam,
Vel fremitu in q2 hostes soluitur in q3 Deum.
Carmine at ærumnas noto solatur amaras,
Hoc q2 suum læto semper in ore gerit:
Quas geris, in Dominum mea mens age reiice curas,
Pectus in illius triste repone sinum.
Non ille æternis agitari hinc inde procellis,
Sed stabili iustum sede habitare dabit.
Ergo illum euentus tandem longe optimus & sors
Excipit, & pridem debita sceptra tenet,
Hostibus horrenda mactatis cade, nec illi
Quoquam auso aduersum in prælia ferre pedem.
Ergo illi turba multum gratante bonorum
Æternum pariunt tradita sceptra decus:
Tanto illud sane decus excellentius, ipse
Quanto maiori tempore damna tulit.
Cerne tui exemplum Iessidæ in imagine cœtus
Parue, cui spondet regna beata Deus.

Nempe tibi hac eadem sors est data. Diceris esse
Cura Dei: Felix atq; beata clues:
Cum tamen interea te mille aduersa fatigent,
Horaq; te requie vix sinat vlla frui.
At tu sume animum: Perfer, quod non sine Patris
Consilio aterni te varie vrget onus.
Dicta manent immota Dei, tibi dicta: ferentq;
Optatum tandem debita fata diem.
Sit mora longa, hostes, obstacula multa: Quid inde?
Vim roburq; Dei vis premere illa nequit.
Ipsum hoc, quod perimit quodq; obruit omnia, tempus,
Et quicquid robur tempore maius habet,
Nil valet hic: Etiam est exemtum a tempore numen:
Nec vinculis vllis stringitur eius opus.
Deniq; res mundi mundana lege tenentur:
At nullo arctantur limite verba Dei.

ANNOTATIO.

Plato quoq; iubet θεὸν τιθέναι ἔξω λόγου. Sed difficillimum est, DEVM creatorem a rebus creatis, carnem a Spiritu posse separare.

INGE-

XXVI.

INGENVA HVMANITAS.

2. Reg. 2.

DAVID benedicit Iabithis, collaudato eorum supremo officio, quod humassent corpus Saulis furtim sublatũ de muro Bethsan, vbi a Philistinis fuerat suspensum ad totius populi ignominiam: proq; hoc officio perpetuam gratiam ipsis promittit.

Bella, inimicitias, damnum, discrimina plura
Sustinet ac perfert mens bene certa viri.
Posse probare tamen negat hæc fraudemue dolumue,
Et commenta mali callida consilij.

EXPLICATIO.

Fortibus viris etiam mens pia, mitis & placida esse solet. Itaq; vt illis est proprium, periculis non terreri, onere non opprimi, ærumnis non succumbere, difficultatib. non vinci, cladib. aduersis non frangi, sed instar palmæ contra hæc omnia erigi atq; superiorem esse: ita hoc quoq; eorundẽ est, vt afficiantur sensu calamitatum alienarũ, & luctu mutuo quasi socientur atq; contineantur: (Sicut q̃dam eleganter fecit:

AEuum omne flendo ducitur mortalibus,
Miseriq; luctu continemur mutuo.
Lugemus aut lugemur omnes inuicem)

Vt lacriment indignis miserorum cladibus, & optent omnibus omnia optima. Præterea & illud, pietatem in miseros exercitam laudare, commendare, præmijs afficere. Insuper & hoc, vt vitia in aliorum rectè factis animaduersa improbet quidem homo fortis & magnanimus: veruntamen nullo modo propter hęc reijcit etiam bonum opus: sed candide vitium a bono secernens alteri liberaliter tribuat laudem, alterum damnet prudenter. Deniq; (vt integrum habeas viri magnanimi exemplar) hoc quoque ad has dotes adijce, vt erratum, vitium, fraudem, quam per se ex animo detestatur, non tamen mox rigide, importune, turbulenteq; exprobret condemnetue: Sed multa dissimulet, condonetque multa paci & quieti communi: cum verissimum sit, Non posse constare neque coli pacem inter res humanas, nisi singuli multa aliorum vitia & errata, vt vt cernentes, non tamen cernamus: nisi singuli sæpe dormitemus etiam maxime vigilantes: Cum verum sit

etiam illud: Qui vitia odit, homines odit: denique cum honestissime dictum sit: Fauores esse ampliandos, odia vero restringenda. Omnium horum exemplar est Dauid. Iabithas prolixe laudat ob officium & honorem sepulturæ Sauli præstitum & iusta ipsi facta: cum quidem dolum & fraudem, quo in illius cadauere auferendo vsi fuerant, minime probaret, nec tamen ipsis morose atq; inhumaniter exprobraret.

INTE.

XXVII.

INTEGRITAS.

2. Reg. 4.

BAANA & Rechab interfecto Iphiboſetho deferunt ad Dauidem caput illius, ſed deteſtantem ſceleratum ipſorum facinus & ſupplicium ſcelere nefario dignum ipſis irrogantem.

Exagitat furiale nefas fera pectora, & vrget
Per facinus magnas quærere amicitias.
Conſcia ſed recti mens deteſtata ſceleſtos
Auſus commerito vindicat exitio.

EXPLICATIO.

Mille modis passim in genere humano monet diuina iustitia, & tanquam in excelsa specula stans clamat: O mortales, discite iustitiam colere, & scelus malum vitate: cauete viam latam, quæ ad interitum perducit. Si secus facitis, grauiter luetis factum, & messem infelicem messu critis. Spoliat aliquis, spoliabitur rursum: Sæuit in alios, incidit in alium ipso sæuiorem: (Fortis enim in fortiorem incidit, vt prouerbio dicitur) Fallit alios, non agit hoc impune: redit fraus in eum a quo est progressa: (Ab alio enim exspectes, alteri quod feceris: & vt canit Lucretius:

Circumretit enim fraus atq; iniuria quemq;,
Atq; vnde exorta est, ad eum plerumq; reuertit.

Et, *Qualia quisq; facit, talis manet exitus ipsum.*

Οἷα τ' ἀνὴρ ῥέξῃ, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.)

Deniq; qua quisq; re peccat, eadem punitur, & ab altero recipit, quod alteri fecit. Sed mille modis quamquam omnibus in locis edita voce ita clamat Iustitia diuina:

Attamen interea κακοῖς τὸ κέρδος τῆς δίκης ὑπέρτερον.

Hoc est:

Longe improbis antiquius iure est lucrum.

Tanta nox, tanta caligo, tantus error in mente hominum inclusus est. Illa quidem sibi somnia fingit non modo impunitatis, sed & commodorum ex suscepto scelere percipiendorum. At venti omnia auferunt: Et vt somnia ac fumos istos auferunt venti: Ita pœnarum ac supplicium tempestatem & fulmina certo afferunt æterna Dei decreta. Sic olim Baana & Rechab percussores Iphiboschethi id quod dicimus experti sunt. Hos Dauid præmium sceleris longe aliud sperantes, trucidandos iubet. Nempe qui ipse manus innocentissimas a scelere tali conseruarat, poterat in tales omni iure animaduertere: neq; caussam bonam improbi sceleris nota vel per se vel per alios aspergere debuit. O Deus, rege me quoq; verbo & Spiritu sancto tuo, vt vigeat in me semper pia attentio, ne, vt pleriq; homines, vel secure ac oscitanter, vel etiam improbe ac nequiter degam in hac vita: Sed vt iusta, necessaria, tibi probata suscipiam & suscepta sedulo persequar, eo modo, vt bene sibi conscia mens detestari, & a se spernere possit omne malum facinus & omne scelestum consilium.

CON-

XXVIII.

CONSTANTIAE EXITVS.

2. Reg. 5.

SEniores regni Israel legatione publica totius populi nomine missa ad Dauidem Hebrone agentem regnum Israel ad ipsum deferunt. Confer. XXV.

Tandem victa hominum inuidiosa superbia iuste
Consilio cedit iudicioq; Dei.
Damnarant quicunq; pium, laudasse priores
Optant. Virtutem gloria cerat manet.

EXPLICATIO.

Iam Dauid viderat pœnam Sauli diuinitus inflictam propter immerito vexatum ab ipso hominem innocentem & contumaciam aduersus Deum. Iam ipse Hebrone annos septem, & quod excurrit, regnum tenuerat: exiguum quidem regnum: at gratum hac ipsa paruitate, præsertim quia diuinitus datum, & iuste cumq; omnium gratia & voluntate obtentum. Et iam viderat dolens æmulorum suorum tristem casum, Sauli, Isbosethi, Abneris, &c. Viderat hæc inquam, nec adhuc se commouet, aut tanto cardine rerum suo negotio conficiendo feruide incumbit; sicut humana prudentia solet, cuius præceptum hoc est, Occasionibus oblatis non deesse, sed ambabus quod dicitur vlnis eas amplecti, immo arripere. (Occasionem rapere sapientis est, inquit Symmachus.) Qui sibi tunc desunt, nec occasionibus vtuntur, ij iudicio humanæ prudentiæ futiles habentur & sunt. Sed vt adhuc semper fecerat, a Deo rerum suarum incrementa exspectat, cuius caussam sciebat se agere: quem norat, vbi oportunum esset, daturum quibus ipsum ornatum vellet. Ille quidem non ignarus fatorum, quibus ipsi decretum esset sceptrum: neq; item per ignauiam sese subtrahens laboribus & periculis: Verum in negotio publico maximoq;, quod totum diuinitus gerebatur, summam rerum & exordia ipsa nolens priuatis suis consilijs niti; sed exspectans diuinitus commotam & publice testatam vocationem. Hæc pietas illius, hæc sancta modestia fuit, quæ & Deo & hominibus carum ipsum faciebat.

Igitur hoc fit, vt Deo maturum exitum rebus Dauidis prospiciente, primum populus omnis congregatus in vno loco, communi decreto regem ipsum optet: Et præterea, vt senes, consiliarij & proceres regni totius vna cum populo hunc regem consentientes celebri legatione regnum ipsi offerant. Vsq; adeo licet consilia Dei ad tempus impediat hominum improbitas, exitum tamen habent diuina decreta: & fit, vt quos antea virtus & gloria splendens ad inuidiam concitauit, hi mutato iam animo tanto magis ament, quanto acrius olim impugnabant & aduersabantur: Deniq; vt tanto maius decus sequatur causſam iustam, quanto impēsius illa prius fuerat pressa atq; exagitata.

PIETA-

XXIX.

PIETATIS HILARITAS.

2. Reg. 6.

DAVID ludit instrumentis musicis ante arcam Domini, quam deducit Hierosolymam in arcem Sion: Idq; agens ridetur a coniuge superba: terretur item pœna Ozæ, temere sapere volentis, vbi non oportebat.

Summus honor, seruire Deo, mentemq; ministram
Aptare hospitijs officijsq; bonis.
Vltrices iras contra temerarius ausus,
Dedecus exspectet ambitiosus honor.

EXPLICATIO.

Quæris quo modo exercenda sit religio & cultus Dei, ne degeneret vel in profanitatem vel in superstitionem. Respondeo: Ratio & modus huius rei non est humani consilij & inuentionis (vnde exsistunt ἐθελοθρησκείαι) Sed res tota ex Dei voluntate & patefactione pendet atq; instituenda est, ad præscriptum verbi diuini. Hic magister est vnus, cuius os audiri oportet. Non oportet plures esse magistros. Quæ hic præscripta & mandata sunt, his attendendum est. Hæc fax nos ducat oportet, si bene ire volumus; sine ea varie impingimus & allucinamur. Hic dux nobis sequendus est, nisi erroribus viarum implicari volumus: & sequendus quidem tum ingenua simplicitate discipulorum, tum vero etiam cura & studio adhibito prudenter, & non fatue ambulandi.

Vt tamen homines in hac vita adhuc sumus, non angeli, homines inquam qui ante pedes interq; manus habeamus semperq; tractemus res externas, & studiorum nostrorum partem in ijs consumamus, quæ ad σχῆμα seu figuram huius mundi pertinent, & qui tum quoq; cum sacra tractantur, in medio mundo versamur: non est nobis interdictum vsu rerum externarum. Atq; hinc sunt ceremoniæ in Ecclesia. & illa quæ dicuntur ἀδιάφορα, quibus vti licet: sic tamen vt intra metas suas contineatur illarum rerum vsus: ita videlicet, ne misceantur hæ prioribus, id est, ne pro cultu Dei, & pro re per se Deo grata illas reputemus: ne item aut meritum in obseruatione, aut peccatum in neglectione earum ponamus.

Sic Dauid cum non dubijs Dei responsis didicisset, velle Deum, vt arca fœderis & tabernaculum illud Iudaicæ Ecclesiæ in vrbe Hierosolyma collocaretur, arcam eo deducens adhibet choros & musicam & omne genus honestæ hilaritatis. Ipse quoq; haud erubuit cithara sua præludere, & inter tripudiantes atq; exsultantes conspici saltans. O felix princeps: ô laudandum illum, qui simili studio tenetur: qui, dum alij aucupio, venatu, aut etiam peioribus studijs tenentur, ipse pio affectu Deo se se dicare in seruitutem, illiusq; notitiam quocunq; potest modo in populo suo propagare gaudet. Hæc religionis exercendæ ratio est, in Dauidis exemplo proposita.

Quæris pugnantia? Aspice reginam Sauli filiam: Aspice Ozam sacerdotis filium. Illa aulico fastu ebria religionis studium regaliter ac splen-

splendide ridet, regeq; marito suo indignum iudicat: Hic vero ausus in ijs rebus, de quibus exstabat interdictum Dei, aliquid suo arbitrio suscipere Dei verbo repugnans: Vterq; plectitur, illa sterilitate inter Iudæos pudenda ac probrosa: alter morte terribili subito affectus.

XXX.

IMMORTALE FOEDVS.

2. Reg. 9.

DAVID Miphiboſetho Ionathæ filio agros omniaq; bona auita reſtituit.

Non oblata virum mouet alta potentia iuſtum,
Antiquæ vt rumpat vincula amicitiæ.
Nec regnare adeo gratum eſt, ac poſſe iuuare
Quos amat, aut quorum pignora grata fouet.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Iactatur prouerbio: Magistratus ostendit virum: Item, honores mutant mores. (De hac sententia præclarus exstat locus apud Gunthe-rum lib. 1. Ligurini, in electione Friderici 1.) Idq; in primis verum esse deprehenditur in ijs, qui ex humili loco ad alta conscendunt, vsq; adeo vt prouerbia varia etiam de hoc ipso frequententur: vt dicitur: *Asperius nihil est humili cum surgit in altum.* O quam paucos reperias, qui in suis rebus secundis amicos miseros respicere dignentur, & qui fidem his seruent: Quam multos contra videas, qui modicum vel paululum euecti, mox putent, omnia esse sua dignitate atq; excellentia inferiora: qui se iam maiores & altiores factos esse putent, quam quibus vlla possit fortuna nocere: Quam multos videas, quibus, cum antea iusti & pij fuissent, sceptro potitis pro iure vires esse cœperunt (vt ait Seneca in Tragœd.) libido pro æquitate, fastus & superbia pro humanitate & clementia placuit: Deniq; qui ex hortulanis, cerdonibus, figulis, agasonibus reges facti sunt, rerumq; & fortunæ pristinæ obliti insolentissimi euaserunt. (Sicut Caligula nemo vnquam seruijt humilius; nemo crudelius imperauit. Rarum est exemplum Agathoclis: de quo Ausonius Epigram: *Vide Sopho*

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem
Et mensam Samio sæpe oneratse luto.
Quæsitus cauſſam, respondit: Rex ego qui ſum
Siciniæ, figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediere loco.)

Neq; metuunt tales lusum Fortunæ, qui superbos illos excipere consueuit, quando ipsorum fastum vlciscitur iusta Nemesis, vehemens & grauis Dea: cumq; secundum Senecam, sequitur superbos vltor a tergo Deus. O omni laude dignum, qui in hac parte sibi moderari nouit, neq; mox tanquam histrio cum vestibus & habitu animum ac mores mutat, sed voluntatem miseris consulendi semel susceptam constanter seruat. Talis erat vel in primis Isaides, qui regno Saulis potitus antiquissimum illud habuit, vt amici sui Ionathæ posteris consuleret. Itaq; Miphibosetho filio eius claudo & misero, qui solus superstes erat, bona auita reddidit, inque vrbe regia illum habitare iubet, & mensæ suæ honoris causſa adhibet, nec pudet ipsum amici, quantum-

uis despicabilis. O seculis omnibus ob hoc factum laudande princeps? Consulere afflictis, & ope consilioq; iuuare miseros, hæ sunt magni principes artes & partes: Hæc virtus principis est maxima, fidem amicis præstare, neq; dedignari eos quanquam miseros. Hoc vere est regis magnanimi opus: Hoc maius est quam si Libyam remotis Gadibus iungas, & vterq; Pœnus seruiat vni.

SPECIMEN CARMINIS EIVSDEM ARgumenti, a M. Bergio discipulis propositum.

Sceptra viros mutant
Mutat honos mores } *medicamine fortius omni:*
Tum sese promunt, quæ latuere prius.
Rara fides alte rebus sublata secundis
Si quibus ante fuit, post quoq; amica manet.
Rara fides inquam miseros respexit, & illis
Quam debet, promto pectore præstat opem.
O quoties videas figulo vel agasone natum,
Qui gestus humiles iudicet esse nefas:
Qui dedignetur, quos nouerat ante, sodales:
Quis mihi tu? tecum quid mihi quæso rei est?
Nec metuunt diuæ lusus bifrontis, ab alto
Quæ solet elatos præcipitare throno.
Quam multos videas olim iustosq; bonosq;
Cum sceptris mores euariasse bonos?
Scilicet vt mores cum vestibus histrio mutat,
Sic varia hic mutant pectora nostra vices.
Isaide diuine, tua hic exempla tuemur
Longe alia, heroum ô maxime sceptrigerum.
Tu Domini arbitrijs regnum iam Saulis adeptus,
Regna tibi agnosti cœlitus ista data.
Non tu crudeles cumulatus honore Nerones
Concipis, aut miseris te sociare fugis.
Non tum parte aliqua, recte quæ stare solebat,
Peruersa est animi visgenerosa tui.

Ergo

Ergo tuo Ionathæ quondam data fœdera seruans,
Illius & nato gratificare studes.
Illiusergo pio reliquum de sanguine, quamuis
Affecto miserum corpore Miphiboseth,
Quod potes, exornas, reddens bona auita, laremq;
Ipsum inter Solymes tecta tenere iubens.
Quin etiam, mensa tecum dum accumbit eadem,
Consortem regni participemq; facis.
O laude eximia celebrande per omnia, & inter
Heroas primo commemorande loco?
Principis hæ magni sunt partes, principis artes
Consilio miseros req; iuuare simul.
Principis hæ magni sunt partes, principis artes,
Gestare in socios pectora fida suos:
Solamen presso esse, & succurrere promte,
Quis ratio auxilium suppeditare iubet.
Hoc facere, est maius quam iungere Gadibus Afros,
Cum nostro & Gangen subiycere Oceano.
O laude eximia celebrande per omnia, & inter
Heroas primo commemorande loco.
Iordanis bifido dum flumine curret in æquor,
Dum Libanus cedro vestiet omne nemus,
Conciliata tibi memorato nomina facto
Viuent, & finis nescia & interitus.

XXXI.

OTIVM CALAMITOSVM.

2. Reg. 11.

BAthſabæa vxor Vriæ Hethæi adulterio cognita eſt a Dauide, dum is in regno pacato otio & tranquillitate fruitur, a militia & armis procul remotus.

Eheu quam leuibus valide quam maxima figis
Corda virum telis inſidioſus amor:
Quis putet in medys tutum ſe ſiſtere flammis?
Longe viſa vrunt, aſpicere ergo nocet.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Iam ita profecerat Dauid, vt vsq; quaq; cum regnum ipsius esset pulcerrimum, tum ipse rex florentissimus, subditis gratus, terribilis hostibus, amicis carus, inuictus bello, clarus opibus: nempe qui & vicinos hostes bello domuerat, & longinquos etiam secundis prælijs terruerat: Deniq; auro argentoq; immensum in modum ditatus erat. Felix ille quidem totus & ex asse, si vt omnia vitæ incommoda a se prohibebat, ita & vitia, ad quæ tam pronus est homini lapsus, a se summouisset, siq; laboris honesti occupationem & exercitium pratulisset otio molli, in quo semper inesse solet ampla seges ac materia vitiorum. Nimirum qui recusat pugnare cum labore honesto, eumq; declinat, huic periculosior esse solet pugna cum vitijs. Hei mihi: Ille toties iam a nobis laudatus heros hic nobis venit reprehendendus. Syris rebellantibus permissa Ioabo rerum summa ipse a bello remotus Hierosolymis commorabatur: ibiq; Bathsabeæ venustate & forma captus adulterium cum ea committit, stupratæq; mulieris virum Vriam per Ioabum loco periculoso hostibus obiectum interfici curat. Heu quanta hinc series pœnarum exstitit Dauidi? Filium ex furtiuo illo concubitu editum paucos post dies amisit: & postquam multa exsecranda in domo Dauidis acciderunt, ad extremum Absolon filius impia aduersus patrem arma sustulit, regno ipsum depellere cupiens. Discat hinc quisq; labore honesto potius ad virtutem sese instruere, quam otio & delicijs, quæ sunt vitiorum omnium illices, se dedere.

ANNOTATIO.

Dauid hic præbet exemplum eius quod veriss. dixit Sallustius: Secundæ res sapientium animos fatigant. Et quod omnino difficilius sit secundas quam aduersas res moderate ferre: vt apud Xenophontem ait Gabryas.

SPECIMEN CARMINIS EIVSDEM ARGVMENTI, a M. Bergio discipulis propositum.

IAm regno incolumis Ießides ſtabat, & omni
Egregie ante alios parte beatus erat:
Iura ſimul populis, ſimul & dans regibus ipſis:
Dies amicorum, dies opumque ſimul.
Felix ille quidem totoque ex aſſe beatus,
AEternis dignus carminibusque vehi,
Si quanta externum virtute ſubegerat hoſtem,
Tanta ipſi & vitium Lerna ſubacta foret,
(Vel: *Tanta ſe & vitijs omnibus obyceret*)
Deſidiam ſtudio nec præpoſuiſſet honeſto,
In qua magna ſeges criminis eſſe ſolet:
Si partes operasque labores amaſſet honeſti,
Otia virtuti pernicioſa cauens.
Nempe repugnanti ſudori, & eum fugienti,
Cum vitijs ſemper dura palaſtra manet.
(Vel: *Nam qui cum ſano non vult pugnare labore,*
Prælia cum vitijs dedecoroſa gerit.
Eheu, iam toties mihi vectus ad æthera princeps,
Hæc reprehendendus quod mihi parte venit?
Nam contra populos dum tendit in arma Syrorum
Dauidicæ princeps militiæ Ioabus,
Hoſtibus ipſe procul, belloq; remotus ab omni
Securis Solyma ducit in vrbe moras:
Alteriusq; viri thalamos inceſtat adulter,
Dum ruit, illicitus quo rapiebat amor.
Accumulansq; ſcelus ſceleri mox prodit Vriam,
Cum facinus cerni non bene poſſe tegi.
Ceruiadæ infando indicio ſignata tabella
Mittitur, vt mortis qua via certa citæ,
Hic illum exponat, turmas medium inter & arma,
Donec humum fuſo ſanguine commaculet.

Hen

Heu quanta hinc seriesipsi est exorta malorum!
Pœnarum moles quanta secuta fuit!
Natam illis sobolem thalamis, scelerata luentem
Facta sui patris, mors properata rapit.
Hinc Ammon consanguineam stuprare sororem
Sanguine fraterna q; imbuere ipse manus.
Absolon infelix hinc impia sustulit arma:
Hinc mala priuatu publica mista malis.
Deniq; quis fando referat quæ postmodo Erinnys
Iesidæ sobolem regnaq; tota premat?
Discite mortales segetem vitare malorum
Otia: Desidiam discite nolle sequi.
Dura laborifera præferte negotia vitæ
Suauibus. hinc pestis prouenit; inde salus.

XXXII.

LIBERA MONITIO.

2. Reg. 12.

DAVID a Nathane propter scelera admissa (adulterium inquam & cædem) grauiter increpitus, agnito lapsu salutarem pœnitentiam agit.



Prima bona, integritas vitæ, rarissima quamquam,
Sed curanda pijs & capienda viris.
At semel in morbum lapsis hæc proxima sit laus
Auscultare boni consilijs medici.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Felicem merito vocamus illum hominem, qui nunquam turpi scelere se obstrinxit, sed tota vita recte ac legi diuinæ conuenienter se gessit. O felices annos veteres & tempora prisca, dum hoc studium passim inter homines feruebat: O nunc contra rarum & infrequens hoc iter: O ingentem paucitatem illorum, qui huic studio dediti sint: Proximus felicitatis locus iis conceditur, qui si forte labantur, eo tamen sunt animo, vt admoniti a lapsu resurgere atq; ad meliora se reuocare, recipere, referre studeant. (S. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. Primus felicitatis gradus est, non delinquere: secundus delicta cognoscere. Illic currit innocentia integra & illibata, quæ seruet; Hic succedit medela, quæ sanet. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. c. 9. καλὸν μὲν τὸ μὴ ἁμαρτεῖν. ἀγαθὸν δὲ τὸ ἐκ τοῦ ἁμαρτάνοντα μετανοεῖν. ὥσπερ ἄμεινον τὸ ὑγιαίνειν ἀεί. καλὸν δὲ τὸ ἀνασφῆλαι τῆς νόσου. Et idem eod. lib. 2. ἄμεινον μὲν τὸ μηδ' ὅλως ἐξαμαρτάνειν κατὰ μηδένα τρόπον, ὃ δὴ φαμὲν εἶναι θεῖ. δεύτερον δὲ μηδενὸς τῶν κατὰ γνώμην ἐφάψασθ' ποτε ἀδικημάτων, ὅπερ οἰκεῖον σοφοῦ. τρίτον μὴ πάνυ πολλοῖς τῶν ἀκουσίων ἁλῶναι, ὅπερ ἴδιον παιδαγωγεμένων εὐγενῶς. τὸ δὲ μὴ ὅπιμήκιστον διαστρέψαι τοῖς ἁμαρτήμασιν, τελευταῖον τετάχθω. ἀλλὰ ἐκ τούτου δὲ τοῖς εἰς μετάνοιαν ἀνακαλεμένοις ἀναμαχέσασθ σωτήριον.) Hos quoq; felices, si medicum nacti sint Dei beneficio recte eos curantem, id est, libere monentem, obiurgantem, castigantem. Hei mihi: quam multis ea felicitas, id est, hoc beneficium salutaris castigationis non datur, quos iusto iudicio Deus finit ire vijs suis? Eheu quam multi etiam non admittunt, sed auersantur & contemnunt salutares admonitiones? qui vt ipsi fauent ac blandiuntur vitijs suis, εὐγνώμων γὰρ ἕκαστος τῶν ἑαυτοῦ κετής, vt ait Nazianzenus in Athanasium: &, egomet mi ignosco quilibet inquit) ita eos amant, qui ijsdem applaudunt & assentantur: qui scelera ipsorum vel probant, vel certe dissimulant: Immo vero quam multi castigati fremunt, ringuntur, remordent?

Si ipsis velis *Auriculas teneras mordaci radere vero,*
Contemnunt monitus, castigatiq; remordent:

vt aiunt Satyrici. O miseros, & gaudia atq; voluptatem appetentes eam, quæ æternum luctum afferunt: & vitant tristitiam eam, cuius finis est verum & permanens ac solidum gaudium, nempe vita saluſq; sempiterna, quæ est tristitia secundum Deum, vt ait Paulus, 2. Corinth. 7. tristia salutaris, qualis hic est Dauidis. Felices contra, qui luctu eo se

affici patiuntur! O quæ gaudia hi suo tempore ex hoc percepturi sunt. Quiquis es, qui Dauidem peccando fuisti aliquando secutus, sequere vero etiam illius patientiam in ferenda reprehensione: Sequere item exemplum pœnitentiæ actæ & luctus huius sancti atq; salutaris. Tu quoq; quando malis reuocaris ab orsis, ab improbis factis, cum vitia tua cognoscis, ne in illis perseuerato: nec patere, vt radices in te agant, & habitus fiat ex actione; sed te peccati admissi pœniteat: erigere spe ac fiducia misericordiæ diuinæ, & deniq; posteriorib. meliorib. (δευτέρων ἀμεινόνων) viuito. Sic tu quoq; cum Dauide felix perhiberi poteris.

SPECIMEN CARMINIS EIVSDEM ARgumenti, a M. Bergio discipulis propositum.

Qvi totum integris ita moribus exigit ævum,
Discrepet vt iußis actio nulla Dei,
Hic merito felix totoq; ex asse beatus
Dicitur, & merito quod celebretur habet,
Quale fuit studium meliori tempore mundi,
Quando colebatur cum pietate fides:
Cum virtus veneranda suo florebat honore,
Officijq; homines sanctus agebat amor.
O quam nunc pauci hoc mortales tramite vadunt!
Quam rari teritur paßibus illud iter!
(vel: *At nunc rarum iter hoc cœtuq; pusillus eorum est,*
Sollicitos valde quos iter hoc habeat)
Eloquar, an sileam? cornice est rarior alba,
Qui studio huic semper dedita corda gerat.
Sic tota hæc rigidis modo sentibus inuia facta
Est via, desueto calle oculosq; fugit.
Proxima iura tenent loca, qui si forte fuere
In vitium affectu præcipitati aliquo,
Sic sunt prolapsi, sic errauere, vicißim
Vt vitæ redeant ad melioris iter.
Hos quoq; felices, Domino tribuente benigne,
Cum medicum, morbos qui bene curet, habent.

Hei

Hei mihi, commoditas quam multis ista negatur!
Quos Deus ire via hac, qua voluere, sinit:
Fata quibus non dant pastorem iusta fidelem,
Ipsos qui a certo vindicet exitio.
Quam multi vero & monitis loca nulla relinquunt,
Verum odio medici verba monentis habent!
Qui sua vti gremio peccata regunq; fouentq;,
Et morbo ignoscunt vsq; fauentq; suo:
Sic similes quærunt socios, applaudere factis
Quos iuuet, & quoduis dissimulare nefas.
His si tu auriculas mordaci radere vero
Ausus commonstres ad meliora viam,
Contemnunt monitus, castigatiq; remordent,
Et grauiter læsi seq; suosq; putant.
O genus infelix, insanaq; gaudia sectans,
Gaudia quæ luctus maximus insequitur:
Tristitiamq; illam fugiens naue atq; quadrigis,
Gaudia quæ votis vberiora parit.
Felices contra, quorum tolerantia luctus
Concipit hos, quibus est vita salusq; comes!
O quæ gaudia sunt homini, quemcunq; subiuit
Luctus is! ô quales postmodo delitiæ!
Quas qui gustarit, reliquis mox dixerit, Ite,
Delicijs: quòrsum gaudia vestra petam?
Ite voluptatum longeq; facessite nugæ:
Gaudia nunc demum vera reperta mihi.
Si quis es usq; aden ergo peccando secutus,
Eius ad exemplum ponere disce nefas.
Post lapsum si quando malis reuocabere ab orsis,
Ad studium melius mox reuocato pedem.
Mox reuocato pedem, & mala crimina conscius horre,
Deposita & vitam labe carisse nouam.
Neu mala sic actus radicibus inueterascant
Euelli vt nulla (se ratione sinant.
(conditione queant.

Corrige quod prauum est, maculosos corrige mores,
Et quicquid Domino displicuisse queat:
Fundeq; sollicito suspiria sobria luctu,
Et lacrymarum imbrem lumina præcipitent.
Deinde fides Christi se sanguine sustentato,
Per quem vnum cunctu sordibus abluimur,
Deniq; sarcito vitæ quoq; damna prioris,
Insistens vitæ iam melioris iter.
Sic felix eris ipse etiam, Dauidu & inter
Consimiles poteris semper habere locum.

HVC PERTINET ELEGIA DE LAVDIBVS Nathanis Prophetæ, quam adscribo Ex LVDOVICI HILLESSEMII Andernaci Sacrarum antiquitatum monumentis.

NATHAN.

MAGNA *Dei pietas superata nocentibus ausis,*
Sæpe sit irata conspicienda manu.
Hac vrgente Nathan perfers ad principis aures,
Ob scelus offensi quæ foret ira Dei.
Impia nam fuerat geminata libidine cædes:
Ergo viro vltrices ingerit ille minas.
Non ego te regem statui? non vindice dextra
Tutatus? vitæ commoda plena dedi?
Hæc si parua forent, non te maiora manerent?
Excidere hæc animo num potuere tuo?
Nunc temerata fides, contemto numine nostro,
In pœnas non est lenta futura tuas.
Clam scelus admissum toto vulgabitur orbe:
Hæc est damnato pœna reperta thoro.
Per genus omne tuum sæuus grassabitur ensis:
Sanguine tincta manus cæde pianda pari est.
Audyt hæc postquam perculsus imagine pœnæ,
Supplicat æterno protinus ille Deo.

Aguo-

Agnoscit q; nefas trepidans, veniamq; precatur,
Eluit & lacrymis crimina tanta suis.
Vidit & ignouit cœlo mitissimus alto,
Flectitur atq; sua pro pietate Deus.
Hæc æterna tui Deus est clementia sceptri:
Numinis hæc eadem gloria summa tui est.
Discite mortales toto qui viuitis orbe,
Pro meritis semper præmia iusta dari.
Iudicio nam cuncta Deus definiet æquo:
Lex ea non summo deperitura die est.

Non videtur alienum hoc loco adscribere etiam ex HVMANÆ SALVTIS MONVMENTIS eiusd. Bened. Ariæ, Odam XXI.

IN TABVLAM DAVIDIS AD POENITENTIAM REVOCATI.

HVmani ingenij licet
Soleis vafricies, callidus ac dolus,
Celet compositum nefas,
Aut blande impositis nominibus leuet,
Indulgens sceleri suo
Aspersa nitidis mille coloribus:
At quæ cor hominum tamen
Et renes penetrat, cunctaq; prouidens
Pertingit sapientia,
Et sermo ignifero fulmine acutior,
Fallax terrigenas genus
Arctis compedibus præligat, vt neq;
Elabi valeant prius,
Nec celare notam, nec fugere improbi.
Nam dum mens nimium sibi
Ignoscit, vitiumq; alterius leue
Intentis oculis videt,
Exemplo similis iudicii, malis

Succumbens propriis cadit,
Et damnata sibi iura subit prior.
Felix qui metuit vigil,
Iras ne horribiles Numinis excitet,
Et vitam peragit piis
Intentam studijs, & fidei & preci;
Certo proximus huic gradu,
Qui contracta mali criminis expiat
Probra; & qui monitus bonis
Vatum consiliis, cedere mollior,
Mentemque & studium mali
Permutans, facilem sollicitat Deum;
Offensamq; gemens grauem,
Exclusus patria suscipitur domo.

POENITENTIAE VTILITAS.

Epigraphe Tabulæ.

Iure perit, qui cunctatur damnare priora
Crimina, & ad veniam sollicitare Deum.

DEO MISERICORDI. S

Dedicatio.

SENTENTIA HVIVS ODAE

Oratione prosa expressa & illustrata ad exercitium styli.

Multi mortales scelere aliquo clanculum & remotis arbitris suscepto ac perpetrato putant, quia id alios homines callide ac subdole cælare, aut ad eos palliare, tegere atq; extenuare & colorare possunt, vitijs etiam nonnunquam virtutum nomina imponentes, sibiq; ipsis blandientes & indulgentes, & sese (quod ob cœcum sui amorem est facilimum) fallentes, ideo etiam Dei oculos & animaduersionem sese subterfugere posse. Qua in re non absimiles sunt ridicula stoliditati struthiocameli & similium bestiarum (de plurib. enim idem prodiderunt qui animantium indolem & mores descripserunt) quæ vbi frutice arbu-

arbustoue collum occultauerint, a nemine sese conspici arbitrantur, quia scilicet ipsæ neminem conspiciant. Sed errant longe & falluntur turpiter, qui Deum ab se vela quoquam falli posse putant. Quid enim non modo perpetratum, sed etiam cogitatum ab homine latere possit, eum qui corda & renes singulorum scrutatur, cuius infinita est sapientia, & omnia penetrans prouidentia, cui etiam tenebræ ipsæ sunt non tenebræ, sed clariss. lumen? Itaq; verissime hoc a Poeta dictum est: ἀνθρώπους μὴν ἴσως λήσεις ἄτοπόν τι ποιήσας. ὁ λήσεις δὲ θεοὺς οὐδὲ λογιζόμενος.

Hoc est:

Turpe quid admittens homines fortasse latebis:
Ipsa Deo at mentis singula sensa patent.

Et Epictetus grauissime inquit apud Arrianum lib. 1. cap. 14. ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε, μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνος εἰμὶ ὑμᾶς γὰρ εἶσω. ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστὶ, καὶ ὁ ὑμέτερος δαίμων ἐστὶ. καὶ τίς τούτοις χρεία φωτὸς εἰς τὸ βλέπειν τί ποιεῖτε. Hoc est: Cum ianuas adduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne vnquam in mentem veniat dicere, quod soli estis, non enim estis; sed Deus intus est, & Genius vester intus est. Quis autem vsus ijs est luminis, vt videant quæ agatis. Diuinum igitur numen sic tenet constrictos homines in aliquo admisso, plane vt elabi, aut scelus suum occultare, aut animaduersionem iustam effugere nullo modo possint. Dei enim verbum, quod delinquendo offenderunt, quouis gladio ancipiti penetrabilius est, vsq; ad ossa & medullas pertingens: Et conscientia cuiusq; licet aliquamdiu quasi quodam veterno oppressa fuerit, tandem tamen euigilat, & hominem accusat. Est vero & hæc prauitas atq; peruersitas humani ingenij admirabilis ac deploranda, quod quisq; semper in aliorum vitijs obseruandis ac notandis acutius quam in suis cernit: quodq; secundum parabolam Euangelicam semper facilius est festucam in oculo alterius quam in suo trabem animaduertere. Vtriusq; exemplum in Dauide cernere est. Is primum sua crimina, quæ commiserat grauissima (adulterium dico cum Bathsabea & cædem Vriæ) omnes mortales, Deumq; adeo ipsum se cælare posse sibi persuaserat. Deinde a Nathane vate prudentissime proposito sibi exemplo ficto, eius qui vnicam ouiculam pauperrimo homini ereptum iuisset, illico nigrum calculum in ipsum promit, maleq; fecisse pronuntiat.

Itaq; cum mutato nomine de ipso Dauide fabula narraretur, in alterius persona sese condemnauit, seq; suo ipsius gladio iugulandum præbuit, & quidem tanto grauius, quanto atrocius est, coniugem, pudicitiam, vitam, alicui eripere, & quidem simulatione officij & beneuolentiæ, quam vnam ouiculam rapere. Est autem optimus & felicis. is, qui a peccato omni studio diligentiaq; abstinet, summaque vigilantia cauet, ne quo admisso Dei iram in se concitet, semper pijs studijs occupatus ac deditus, semper retinens timorem Dei, fidem & bonam conscientiam. Si quis tamen, vt est humana imbecillitas, forte lapsu præuentus, & in peccatum aliquod præcipitatus sit, proximus felicitatis gradus est agnoscere & deflere culpam, a lapsu resurgere, rectęq; monentes & castigantes audire, actaq; pœnitentia cum Deo in gratiam redire, abnegata priore impietate, & posterioribus melioribus. Hæc est illa post naufragium secunda salutis tabula, quam arripere oportet, vt ex mari exitij & perditionis in æternæ felicitatis portum enatemus. Qui stat, videat ne cadat: Qui cecidit, operam det vt resurgat.

VERAE

XXXIII.

VERAE GLORIAE AMPLIFICATIO.

2. Reg. 12.

AMMONITARVM vrbe capta euersaq; regnum gentis huius ad Dauidem transfertur.

Improbitatis opes, iniusta potentia, magnæ
Et subito casu præcipitiq; ruunt.
Hostibus exstinctis surgit domus alta piorum,
Atq; nouus spolijs, diuitijsq; nitet.

EXPLICATIO.

Quos pietas Deiq; amor, timor & reuerentia deseruit, & qui hostes sunt piorum, horum gloria licet alte ad cœlum vsq; sese efferat, tamen cito deficit: cito effunditur atq; effluit omnis ipsorum felicitas. Et quamquam sæpe crescunt tales ad tempus aliquod, adeo etiam, vt existimetur æternum mãsura, nulliq; vnquam casui obnoxia futura ipsorum prosperitas: tamen illa incrementa ad postremum in ruinam & calamitatem certam atrocemq; desinunt. Constat enim hoc & constabit, vt nihil bene vertat, nihil prospere feliciterq; cedat, sine Deo sineq; pietate cœptum, quocunq; etiam labore, robore, viribus & sapientia geratur. Hoc in publicis rebus comperitur, hoc in priuatis, vbiq; terrarum: Hoc in Ecclesia, hoc in politijs cognoscitur: Numquam inquam aliquid feliciter euenire, quod ab ijs a quibus geritur, non refertur ad obedientiam & cultum Dei.

O miseri, quibus inter assiduos labores & curas omne effluit æuum, hoc fine non considerato: quos labor inanis macerat, vrget, vrit, dum alios fines sibi proponunt. At contra felices manus, felicia arma, felices domos piorum: vtpote quibus Deus adest tutor & opifex: Quo fit, vt penes ipsos sit gloria vera, nouis semper incrementis augescens, semper nouis auctibus crescens, semper se ipsa illustrior euadens. Ammonidæ exemplum dicti memorabile præbent prioris: Ammonidæ inquam, gens semper ad summa contendens, semper grauis populo Dei, semper ad eum premendum abolendumq; conspirans, & tametsi nunquam lacessita, tamen assiduis iniurijs eum afficiens. Quocirca tandem atroci exitu iniurias suas finit, claudit, luit, eadem perpessa ab alijs, quæ in alios commiserat.

εἴπερ πάθοι, τάχ' ἔρεξε. δίκην' ἰθεῖα γένοιτο.

Aristot. 5. Ethic. c. 5.

Id est: Si quis quod fecit patiatur, ius erit æquum: vt habet ius Rhadamanthi. Posterioris exemplum habes in Dauide: cuius manus quia pro fratribus, pro lege, pro grege arma gerit, rebellibus subactis sceptro & opibus ipsorum ipse potitur.

INTEM-

XXXIIII.

INTEMPERANTIAE FRVCTVS.

2. Reg. 13.

CONVIVIVM Absolomi cum fratribus, & cædes Ammonis auctore Absolomo facta ob stuprum Thamari germanæ Absolomi ab Ammone illatum.

Publica prōspicere haud satis est, sed moribus atq;
Legibus est puris instituenda domus.
Cui leue natorum fueris scelus, ille videbit
Exempla, & sobolis funera dira suæ.

EXPLICATIO.

Iusta querela est, quam vel sapientiss. quisq; subinde repetere cogitur: Nemo hominum semper sapit. Item, mentes hominum varijs erroribus turbantur & implicantur. ἀμφὶ δ' ἀνθρώπων φρεσὶν ἀμπλακίαι ἀνάεθμοι κρέμανται, inquit Pindarus. Item, nemo sapit aut prudenter agit omnibus horis: Nemo in omnibus negotijs est ἀναμάρτητος. ὃ δ' εἰς ἀνθρώπων ἐς-ὶν ἅπαντα σοφὸς, vt Theognis ait: Et, μηδὲν ἁμαρτεῖν ὅσ-ι θεῶν, καὶ παῖδα κατορθῶν, vt est apud eundem, ἀνθρώποισι γάρ τοῖς πᾶσι κοινὸν ὅσ-ι τέξα ἁρτάνῃν. Sophocl. Et Xenophon inquit, Eum qui homo natus sit peccare, minime mirū est. τὸ γὰρ ἁμαρτάνειν ἀνθρώπους ὄντας οὐδὲν θαυμασ-όν. Nihil tam familiare est hominibus, quam crebro errare. Probant hoc errata maxima vel summorum atq; incomparabilium virorum. Ac in primis affectus priuati imponunt sæpe numero etiam sapientissimis. Videas si peinter gubernatores rerumpub. interq; principes viros, qui suos quidem mores ita regant, vt nihil contra officium faciant: quiq; publice etiam aliorum hominum mores & studia emendare, a prauis ad recta conuertere contendant, nulli hac in parte operæ parcentes: Ceterum quibus interea, dum hoc publice agunt, domi nascatur infelix seges eorum, quæ publice prohibebant. Sic Abraham, Isaac, Iacob sanctiss. homines exempla erant sanctitatis & innocentiæ cunctis coætaneis suis, atq; ad eadem studia etiam alios mortales conuertere conabantur, vt pietatem quam latissime propagarent. Sic Heli Pontifex in populo Dei: Sic Dauid eiusdem populi rex ad hunc scopum tendebat. At his heu quæ scelera interim intra priuatos parietes exsiitunt, ab ipsa eorum sobole concepta & perpetrata? Discat hinc quisque in se & suos seuere animaduertere: & caueat sedulo, ne indulgentia lenitateq; praua causſam malo præbeat. Nam certe, vt is qui flectit ceruicem filiorum suorum a teneris, gaudium sibi & dolorem inimicis suis creat: Sic contra qui indulget suis in peccato, nec disciplinæ fræno eos regit atq; coercet, sed ad morem animo gerendum illos assuefacit, vitia eorum fouens & excusans atq; extenuans, cumipsis tum sibi dolorem, sæpe etiam perniciem, accersit. Vide Syracid. cap. 30. παραίτησοφίας.

NIMIA

XXV.

NIMIA LENITAS

2. Reg. 13. & 14.

DAVID filio fratricida in gratiam recepto, seueritatem rege dignam adhibere oblitus, affectuiq; priuato paternæ στοργῆς pœnam illam condonans, ferocis animi ac spiritus iuuenem hac re cõfirmat, & quodam modo instruit ad facinus, quod idem postea perpetrauit.

Virtuti coniuncta patrum, exemplisq; seueris
Et iuuat & confert consilij grauitas.
Quid non moliatur male confirmata iuuentus,
Tam faciles credit cum sibi habere patres?

EXPLICATIO.

Iam fratris nece pollutus Absolon scelerisq; nefarij sibi conscius fugiebat patris vultum atq; regnum, & triennium hospes agebat apud Gessurium regem auum suum maternum, cum interea Dauidem excruciat atq; afficit varie hinc ira, inde dolor: hinc indignatio iusta, hinc luctus simul, luctantib. inter se in ipsius animo & quasi tumultuantibus contrarijs affectibus: dum hinc στοργὴ innata sese commouet, cuius maxima vis est in omnib. non monstrosis naturis; illinc tetrum filij facinus occurrit, per quod talem illum habebat, quem amare minime deberet, sed ad pœnam trahere & tradere, vt pote parricidam. Idq; norata se requiri, utpote magistratu, qui publicum scandalum priuatis affectib. condonare minime debet, sed antiquiorem habere rationem illius cauendi, tuendiq; publicæ disciplinæ vigoris, quam suorum desideriorum explendorum. Sed heu male vincit στοργὴ paterna officij curam. Elapso triennio putat Dauid satis datum esse seueritati: pro magno peccato filij paullum supplicij satis est patri. Itaq; amoris intermissi desideria rursus excitat: incipit inquam affici desiderio Absolomi, ac subinde suspirabat ad eum quando ipsius recordabatur. Itaq; reuocatur Absolon Dauide permittente: & postquam Hierosolymis aliquamdiu vixit priuatus, mox in aulæ societatem rursus admittitur. Quid hic aliud fieret, quam vt insolens & effrenis animus porro etiam depraueretur: Male cum docuit patris facilitas: cum omnes deteriores

simus licentia & impunitate delictorum. Idque satis docuit fœda seditio paulo post ab hoc ipso contra patrem excitata. Discat ergo qui parens est, disciplina seuera, admonitionibus, castigationibusq; tempestiuis delicta sobolis castigare, neq; plus tribuat στοργαῖς suis quam oportet, neq; nimium amare suos. Memor sit eius quod Plutarch. scripsit: πολλοῖς τῶν πατέρων τὸ λίαν φιλεῖν τὸ μὴ φιλεῖν αἴτιον κατέστη: id est, Multis patribus nimius amor sobolis caussa non amandi exstitit. Discat qui magistratus est, non præferre necessitudines priuatas muneri, & ijs quæ hoc postulat: Alioquin vterq; sibi malum creat indulgentia & lenitate.

ERRA-

XXXVI.

ERRATORVM EXPIATIO.

2. Reg. 15. & 16.

DAVID exsul ex amicis suis plerosq; hostes nefarios, multos parũ firmos, aliquos etiam astute suis rebus consulentes in ipsius miseria, pauciſſimos vere fideles experitur.

Maxima ciuilis belli ac deterrima peſtis,
Cum interna flagrat ſeditione domus.
Non tamen eſt vſus leuis, hinc vt certus amicos
Internoſſe queas, quæ tibi ſumma ſalus.

EXPLICATIO.

Certe ita comparatum est, vt vere dicatur, Nescire hominem quid fugiat aut quid optet: ita ludit dies. Verum est hoc inquam de reb. illis omnib. quæ adiaphora apud Philosophos sunt, id est, res quę per se tales sunt, vt neq; noceant, nec prosint, velut sanitas, voluptas, pulcritudo, robur, opes, existimatio bona, gloria, honos, otium, nobilitas, amicitia: & contraria horum, morbus, dolor, deformitas, imbecillitas, paupertas, ignominia, dedecus & infamia, exsilium, ignobilitas, odia: & his finitima, vtpote commoda & incommoda omnia naturæ: quorum eas vis est, vtijs bene vti possis vel male, vt ad vtram libet partem adhiberi & valere, possint. De horum vtrisq; aliter longe iudicat vulgus; aliter sapientes Vulgus quidem putat, priorib. illis possidendis beatos esse homines: Et e diuerso eorundem defectu miseros effici. Sapientes vero de illis ita iudicant, quod per se neq; bonum faciant hominem, neq; malum, sed animi atq; ingenij humani indolem sequantur, omninoq; talia sint, qualis est animus eius qui ipsa possidet: in bonum quidem cedant ei qui virtute sit præditus; in malum vero ei qui virtutis expers sit. Sic illide his rebus. Plus vero etiam addit doctrina cœlestis, quæ ostendit, ærumnas & incommoda esse instrumenta salutis ijs hominib. quos Deus sua salutari visitatione dignatur: vt scilicet illis pij quamdiu in officio manent, probentur, ac perficiantur:

Quando vero exorbitant, ceu castigatione acri ad sanitatem mentis atq; consilij reuocantur. Ita seditio, quæ Dauidem exercuit, multo vtilior ipsi fuit, quam perpetua pax erat futura. Etenim per hanc agnouit delicti sui magnitudinem, de quo alias securus fuisset, seq; coram Deo vere humiliauit, totum se & regnum in Dei arbitrium conferendo & subijciendo, vt si ei placeret, eum restitueret; sin autem aliter, hoc quoq; se patienter laturum. Profuit vero etiam ipsi exsilium alio modo: nempe quod hoc euentu & hoc tempore suo cognouit, quos nã inter amicos haberet fideles; quos vero contra subdolos & astutos simulatores: quales fuerunt Achitophel, Siba, Simei, a quibus sibi postmodo tãto melius cauere potuit, quod occasione exsilij sui insynceros illos esse cognouerat. Nam vt aurum igni, ita amicorum fides rebus aduersis exploratur: & Amicus certus in re incerta cernitur.

SPECIMEN CARMINIS EIVSDEM ARGVmenti, a M. Bergio discipulis propositum ad imitandum.

Quicunque ille fuit, verbum qui protulit istud:
Nescit quid fugiat quidq; sibi optet homo:
Quod res est vere sapienter protulit ore,
Vsus ab exemplis quodque subinde probat.
Aspice res, vitam in quibus exigis: aspice dotes
Naturæ (veluti maxima turba putat)
Qualia sunt: robur, bona gratia, fama, voluptas,
Otia, nobilitas, forma & amicitia,
Cetera de genero hoc, quæ sunt ita multa referri
Exigui vt nequeant carminis in spatijs.
Hisque etiam aduersis pugnantia fontibus: vt sunt
Pauperies, angor, langor & opprobrium:
Dedecus, exsilium, bellum, iactura, rapinæ,
Et quæcunque istis esse propinqua solent.
In diuersa quidem hic hominum sententia (nutat: (cedit:
Nec sapiens mentem hanc, quam rude vulgus, habet,
Vulgus ab his vitam solitum censere beatum,
Mensuram hanc summi deputat esse boni.

At

At ſapiens, & cui melior ſententia cordi eſt,
Iudicij errorem corrigere huius amat.
Materies in vtrumq; ſequax hæc omnia habentur
(Ille ait) *& mentis pro ratione valent.*
Sit bona mens hominis, bona erunt quoq; talia: contra
Sit malus ille, hæc qui poſsidet, & mala erunt.
Denig; naturam domini ingeniumq; ſequuntur
Talia, nec propria conditione valent.
Sic illi: Recte: & tamen hus plus pagina ſacra
Addit, conſilijs pagina plena Dei.
Hæc docet erumnas eſſe (*inſtrumenta*
(*organa certa ſalutis:*
Hæc docet ad cœlos certum iter eſſe crucem.
Scilicet, vt domini, quorum eſt ea munere vita
Quam lucens pietas ornet & officium,
Illos per quædam induret diſcrimina, vt vſq;
Vlterius pergant talibus inſtudijs.
Contraq; officij recto de tramite lapſi
His moniti referant ad meliora pedem.
Sic petit vtilius turba inteſtina Dauidem,
Quam comes huic pridem paxq; quieſq; fuit.
Hinc certe didicit peccati agnoſcere labem:
Hinc didicit magno ſubdere corda Deo.
Hinc didicit prauæ ſentinam cernere carnis,
Nec dare commotis)
Nec laxare malis) *frena cupidinibus.*
Quin & ab exſilio hoc id manat commodi, vt inter
Diſcrimen ſocios poſſet habere ſuos:
Pectora quorum eſſent firma atq; fidelia, ſiue
Tempora clara forent, nubila ſiue forent:
Et qui inconſtanter ſequerentur lumina ſortis,
Aſſuteq; ſibi commoda proſpicerent.
A quibus hoc melius potuit ſibi deinde cauere,
Infidos quod eos comperit exſilio.

XXXVII.

PATERNA CLEMENTIA.

2. Reg. 18.

DAVID magis sollicitus est de Absolomo perduelle filio ab interitu liberando, quam de Vita sua conseruanda, & regno recuperando: sed frustra satagit, frustra cupit ignoscici, quem vindicta diuina ob violationem parentum persequebatur.

Naturæ mirandus amor durissima perfert
Pondera, & offensus sustinet vlq; graues.
Quoq; magis tener est, magis atq; viguetur, & arcte
Stringitur, hoc adeo rumpitur ille minus.

Incst

EXPLICATIO.

Ineſt in parentibus non monſtroſis in intimo ſinu cordium mirificus quidam amor erga natos & naturale quoddam incendium perpetuo in animis flagrans: Et viciſſim in natis erga parentes naturalis beneuolentia reſpondens ei, quæ parentibus inſita eſt, quæ etiam filios hortatur, inflammat, exſtimulat, ad parentum amorem, cultum ac veneration em. De his inclinationibus, ſapienter pronuntiatur, quod diuinitus inſitæ ſint in naturam hæ flammulæ, & quod ſint vinculum ad conſeruationem naturæ neceſſarium, ſine quo nulla poſſit eſſe homini ad hominem adiunctio, qua ſublata vitæ ſocietas tollitur, & ex humana fit pecudum vita, & aliquid multo etiam fœdius atq; deterius. (Nazianzenus: φίλτρῳ γὰρ σωέδησε θεὸς γονέας τε τέκνα τε. Idem: τῷ δὲ τὰ γεννώμενα φίλτρῳ τὸν ἔρον ἡμέρωσεν ὁ θεός.) Itaq; beluæ ſunt, non homines, qui has flammas ſcelerate obruunt atq; exſtinguunt, ſeu parentes illi ſint, ſeu liberi. Neq; pœna deeſt hoc facientibus: Sicut contra, honeſtiſſimam hanc naturæ legem ſequentes, fructum eius rei optimum percipiunt. Exemplum vtriuſq; rei cernitur in Dauidis hiſtoria. Ipſe quidem vt pius pater ſollicite laborat pro filio, vt eum cædi eripiat. At vero, quia Abſolom eliſa atq; exſtincta omni ſtorgarum vi, refractiſq; repagulis pudoris, timoris Dei & verecundiæ impie ruebat, nihil prodeſt ipſi cura paterna, ſed luit pœnas furoris ſui, fœde occiſus, quamuis inuito patre, ſecundum illud ab Ethnico poeta dictum:

Ζεὺς δ' ἐνορᾷ γονέων ὁπόσοι τίνοι θέμιτας, Orpheus apud Stobæum.
Ἡδ' ὅσοι ἐκ ἀλέγουσιν ἀνασδέα θυμὸν ἔχοντες.
Καὶ τοῖς μὲν φέρφερων τε ἔπιος ἐδλὰ δίδωσι.
Τοῖς δὲ κακὰ φρονέων νεμεσίζεται ἐυμενίδεσι.
Δῆναὶ γὰς κατὰ γᾶαν ἐεινύες εἰσι τοκήων.

Hoc eſt:

Obſeruat Deus ipſe parentum iura tenentes,
Nec minus immani has qui leges mente refringunt.
Atq; illis bonus & mitis bona præbet abunde;
Aſt his iratus pœnas infligit acerbas.
Nam diræ Eumenides verſantur in orbe parentum.

Et indignus eſt vita, qui in vitæ ſuæ auctorem exſtitit ingratus. Dauidi vero ſua pietas hunc tulit fructum, vt glorioſiſſime in regnum, quo fuerat depulſus, reſtitueretur.

SPECIMEN CARMINIS EIVSDEM ARGVmenti, a M. Bergio discipulis propositum ad imitandum.

Ardor inest memorandus in imo corde parentum,
Et flammas mirus exserit inde modis.
(Vel: *Flamma animis erga natos impressa parentum est*
Egregium miræ conditionis opus.
Vel: *Prouida pectoribus flammas natura parentum*
Miscuit, artifici disposuitq; manu)
Flamma etiam in natis patrum respondet amori
Æmulaq; alternis suscitat officia.
Inde patres, quæcunq; fluat, quæcunq; cadat sors,
In sobolem semper pectora prona gerunt.
Cumq; malis hæc est affecta dolentq; gemuntq;:
Illi & qua possunt auxiliantur ope:
Rursus & ipsa suo soboles stimulata colore
Officijs offert obuia corda patrum,
Et vitæ auctores veneratur, amatq; colitq;,
Ipsorum exsequitur iussaq; sponte sua.
Qui dixit: Deus hunc ardorem mentibus addit,
Quod dixit, vero verius illud erat.
Certe ingens donum hoc, sede æthereaq; profectum
Commoda ad hanc vitam plurima habere patet.
Hoc vinclo humanæ stant iura æquissima vitæ:
Hoc sine coniunctim viuere nemo queat.
Hoc sine vita hominum vitæ duntaxat imago est,
Et fiunt homines, qui ante fuere feræ.
Quicunq; has igitur sunt ausi exstinguere flammas
Et contra, igniculus quam monet ille, rapi:
(Vel: *qui tales flammas scelerate exstinguere gaudet,*
Seu nati fuerit seu patris ille loco:)
Quis neget hos dignos, pecudum quibus addita forma
Constet, & hos hominum seperet ex numero?
Crede mihi ad pœnas tales mox iusta reposcet
Ira, malis pœnas quæ parat usq; suas.

Facta

Facta luent etiam ſeri commiſſa nepotes
Illorum, & pœnas fama loquetur anus:
Præmia vti rurſum cunctis ampliſſima conſtant,
Naturæ hic legem qui didicere ſequi.
Dictorum exemplum quæris memorabile? verſa
Pagina Dauidicæ quæ docet hiſtoriæ.
Hoc habet in votis pater optimus, hoc agit vnum,
Vt natum triſti ſeruet ab interitu.
Dumq; ſuos armat, Reliquis ſis hoſtibus hoſtis,
Inquit, at Abſolomo parce, loabe, meo.
Vſq; adeo gnati vita eſt antiquior ægro,
Quam regni ſolium, quam ſua ſceptra, patri.
Quod tamen excuſſis ſtorgarum fertur habenis
Abſolo, & officij proterit omne decus,
Nil ipſi proſunt pietas & cura parentis,
Quin pœnas meritas impietate luat.
Dum facit ergo fugam, trepida formidine plenus,
Arbore flauentes impediente comas.
Traiectus telo iuuenile tricuſpide pectus
Cogitur admiſſum morte piare ſcelus.
Recte equidem. Nam quid vitali luce fruatur,
In vitæ auctorem qui malus eſſe poteſt?
Iſaides contra regno ſceptriq; potitus
Denuo quæ mites fata merentur, habet.

XXXVIII.

IMPIETATIS EXITVS.

2. Reg. 18.

ABSOLOM parricidiales conatus horrenda pœna luit, quando victus acie & fugiens tribus hastis traijcitur, dum in quercu comæ implicatione suspensas hæret.

ÆEtas, forma, genus, decor, amplaq; copia rerum,
Plausibus & populi gratia mobilibus:
Hæc homines vt magna probant: sed desit honestas,
Præcipiti certum est hæc ruitura gradu.

EX-

EXPLICATIO.

Vita hominum, si spectes proxima & quæ ante pedes nobis sunt interq; manus, nihil aliud est, quam palæstra quædam siue militia perpetua, in qua cum hisce rebus negotium & tanquam lucta est, quales res sunt, forma, ætas, genus, honor, amici, potentia, conuiuia, gaudia &c. Probatio, inquam, quædam hæc sunt atq; πεῖρα discipulorum Scholæ Dei, per res istas mundanas in earum appetitu atq; vsu, & carentia item atq; neglectu legitimo vel illegitimo. Inter hæc enim degitur ab hominibus æuum duplici modo: Aut scilicet ita, vt ducem in illa palæstra habeamus atq; sequamur libidinem siue mundum: & sub huius signis militantes ita illis rebus fruamur, vt mundus suader, vt mundi mos est. Etsi enim res hæ sunt bonæ, & a Deo cõditæ, & hominib. etiam concessæ: tamen sub illis dispositæ sunt retia Diaboli. Itaq; damnosæ fiunt & noxiæ ex illegitimo earum appetitu vel vsu: adeoq; non recte vtentibus aut laquei sunt, aut misere illos destituunt. (Aut laquei fiunt aut fugitiua volant.) Sic tibi cæsaries tua laqueus fuit, o Absolom, dum acie victus fugis: Sic tibi mula tua, cuius præsidio speras te euasurum, inter arbusta pendentem deserens, libero campo aufugit. I nunc & ab his reb. suspensas habe spes tuas, tu, cui hæc historia terrorem non incutit: Scilicet vt qui impietatis exitum in alieno exemplo propositum non curas, in tua ipsius pernicie illum tandem experiaris. At melius quicunq; sapit, pietatem sequitur, & huius magisteria audit, ita se cõparans, vt in harum rerum vsu sequatur Salomonium illud: Deum time, & mandata eius obserua. Posteaq; rebus supradictis ita vtitur, vt paulo post ibidem est: Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Omni tempore sint vestimẽta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui tibi dati sunt sub sole. Hæc enim est pars tua. Ita agentibus iucunda vtilis & honesta esse potest dictarum rerum appetitio, fruitio atq; etiam carentia, & possunt in illis tales versari non modo sine periculo & noxa, verum etiam cum sua & aliorum simul vtilitate Deiq; celebratione.

XXXIX.

IVS INVICTVM.

2. Reg. 19.

DAVID veniam rõganti Semeo ignoscit: Tribui item Iuda Absolomum secutæ per seditionem: Similiterq; Israeliticis tribubus, rebellionis nouæ reis: condonans ipsis iniurias quas ab eis acceperat, Posset etiam pro titulo apponi, tandem iustitia obtinet: ex Psal. 83.

Inuidia infelix varij ac clementia vulgi,
Sæpius ignauo fracta pudore cadit
Præstantis tamen est animi, nec frangier istis,
Nec meritam fractis velle referre vicem.

EXPLI

EXPLICATIO.

Quid hoc esse dicam rei, quod fortibus & præstantibus virtute viris semper est molesta inuidiæ rabies atq; leuitas, quæ illos comitatur, illis occurrit, ipsos petit tum palam tum clam & per insidias? Non est sane creata diuinitus hæc ratio, vel potius hic furor: non est. Et tamen constanter ac perpetuo ita fit in rebus humanis. Nimirum mali illius ducis, qui errandi principium dedit, & qui nunquam desinit pertexere sui furoris telam, hæc quoq; est soboles. Ex hoc seminario pestilens illud germen expullulat. Hic facit, vt virtutem hinc inde infestent notæ illæ pestes, inuidia, calumnia, obtrectatio ac similes: item seditiones, conspirationes, factiones & cetera illa, quibus nigra est cauda, & quorum finis est dedecus & turpitudo, pudor atq; infamia.

Sic Dauidem Semeeus petit improbissimis maledictis: Sic tribus Iuda Absolomum regem sibi fecit, optimo illo Dauide indignissime spreto: Sic Israeliticæ tribus improbe denuo rebellarunt, nullis veris ad hoc faciendum caussis impulsi; sed ambitioni suæ obsequentes, & odio tribuliũ exstimulati. At magni atq; excelsi animi & heroicæ virtutis est, primum non vinci aut frangi talibus; sed fortiter vrguere propositos cursus, quos officium præscribit: Deinde quoq; non nimis acrem esse vltorem leuitatis & iniuriarum talium; sed parcere victis & clementia vti etiam in eos, qui non sunt meriti aliquam clementiam. Certe enim tandem iustitia obtinet: Tandem non vis aut numerus, verum bona caussa triumphat. (Vid. Alciat. Embl. 28. Sic Dauid maiore gloria & laude sua pepercit istis modo dictis, Semeeo, tribui Iuda, item Israelitis atq; alijs, quam illa ipsa laus erat, quam regno recuperato fuit adeptus.

XL.

TEMERITATIS CASVS.

2. Reg. 20.

SIBA deficiens a Dauide, & decem tribus noua factione a Dauide alienans trucidatus pœnam luit nefarij conatus.

Et solet in medijs iustum vexare triumphis
Stultitia, infesta præcipitis manus.
Sed spumante malo, nec dum feruente, furenssę
Flatibus effundit perdit & ipsa suis.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Si ius violandum est, regnandi gratia violandum est: In ceteris pietatem colas, inquiunt multi cum Iulio Cæsare ex Euripide:

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Ἀδικεῖν χρεών, τἄ δ' ἄλλα εὐσεβεῖν χρεών.

Quod si etiam occasio oblata sit tibi, regni citra negotium consequendi, stultissimus certe fuerit, qui illam oscitanter amittat. Sic illi, quibus mentis & oculorum aciem præstrinxerunt diræ cupiditates, & communis illa generis humani conspiratio in vitia, id est, corruptela morum. Assumunt etiam tales exempla eorum, qui talib. studijs emerserunt & raram quandam excellentiam sunt consecuti. Insuper temeritas varijs dictis atq; vocibus pingitur & quasi vestitur, quibus homines sibi ipsis delicias faciunt: vt, non sit sine periculo facinus magnum & memorabile: (Terentius ex Pindaro: ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἀναλκιν ὰ φῶτα λαγχάνῃ.) Totum cape & dimidium habebis.

Vile decus, quod non erexit præuia hortor:
Ingentes geminant discrimina magna triumpho. Claudianus.

Hinc vero molitiones illæ improbæ, quibus alij aliorum commodis imminent & insidiantur, vsq; adeo, vt egregij homines illi demum iudicentur, qui quam plurimum indies rapere, capere, clepere, harpagare atq; ad sua adiungere possunt, seseq; amplificare: Sicut e diuerso futiles atq; ignaui habentur, qui id negligunt. Hinc etiam illis ipsis, quorum res diuinitus regi gubernariq; videmus vel in medio cursu victoriarum obstrepunt suæ pestes: vt Herculem exercent Eurystheus, Antæus, Geryon, Cacus, &c. Vlyssem Polyphemi, Antiphatæ, Læstrygones, alij: Æneam Turnus & Mezentius: Orionem Scorpius quidã diuexauit: Homerum Zoilus & alij. Nec vnquam quisquã magnus heros exstitit, quem non in aliqua discrimina tales pestes induxerint. Cetera quid memorẽ? Exemplũ omniũ maximum esse põt Dauid a Siba diuexatus, qui pessimũ quemq; ad arma cõtra ipsum sumẽda excitabat. Sed in impiũ & temerariũ illũ impietas ab ipso egressa redit ac retorquetur,

sceleratiq; ducis cædeluitur scelus, & motus omnis reprimitur, Deo causſam iustam iuuante & iniustam oppugnante. Qui sapis, exemplo hoc discas, propria, iusta, necessaria, in timore Dei & bona conscientia agere. Id facientium consilia & actiones bonus comitatur euentus: Contra, atrocia scelera plectuntur atrocibus pœnis. μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι, vt inquit Herodotus.

INIV-

XLI.

INIVRIAE PARTVS.

2. Reg. 21.

SEPTEM filij Saulis Dei voluntate Gabaonitis dediti suspenduntur ab his, ob iniuriam quam eorum pater Saul Gabaonitis fecerat, quā-do stulto & impio Zelo illos delere aggressus fuit.

Lenta Dei, haud oblita tamen, premit vltio sontes,
Nec patitur comites criminis effugere,
Hanc princeps bonus & prudens quocunq; periclo
Expiat, ut populis prospiciat miseris.

EXPLICATIO.

Quicunque tragicis casibus & horrendis pœnis vacare cupis, vide vt caueas tibi ab his. Ne efferas te, si quid potentiæ nactus es, si quid vales, ne efferaris in fastum, ne insolescas, ne insolenter te geras. Ne item incipito aliquid per arrogantiam & præsumtionem in iis rebus, quæ ad cultum Dei & religionis obseruationem pertinēt. Ne pecca id peccatū quod est contradicere Dei ori seu Sacerdoti. Neq; in miseris atq; impotentioribus contristandis vexandisq; acrem atq; audacem te præsta. Deniq; nihil eorum, quæ præsens Saulis exemplum tibi proponet, cōmittere velis. Rex ille effectus a Deo per Samuelem, insigniq; armatus auctoritate fastum concipit, & contra Dei legem partes Sacerdotalis muneris sibi sumit, sacrificium suis sibi auspicijs faciendo, diutius morante Samuele, & vices suas tardius implente. Mox deinde hoc peccatū cumulat altero. Cum enim a Deo iussus esset Amalekitarum genti (quæ quondam Hebræos ex Aegypto venientes transitu prohibuerat) bellum inferre, addito interdicto, ne quicquam ex deuictorum spolijs cōcupiscerent, postea quam subacta illa gente maxima præda fuit potitus, immemor præcepti diuini e præda capta sibi seruari iubet, quicquid ei allubuerat. Neq; tertium scelus defuit, quod cognita Dei ob Amalekitas non deletos ira, in Gabaonitas dedititios Israelitarum (quos falso Amalekitarum esse similes censebat, sese infert violenter, atq; horum gentem delere aggreditur, contra fidem iureiurando illis olim a Iosua & principibus datam. Heu cadit in quemquam tantum scelus, vt in tales homines ferrum stringat, qui quidem etiam diuino cultui dicati ob hoc ipsum sacri erant & sancti habendi. Erant enim Gabaonitæ calones & lixæ sacrificorum.

Hæc peccata non modo Saul ipse luit exitio, sed illo iam pridem mortuo posteritatem quoq; ipsius hæ diræ premunt, vsq; eo, vt nō potuerit placari offensa aduersus Deum contracta, nisi tota ipsius stirps funditus deleretur, septem reliquis ipsius filijs in crucem actis. Neq; vel tempus longum, vel illa res alia obliuionem impio sceleri inducit, quo se homo Deo cōtemto inuoluit. Exemplū manifestū cernere licet in Saulis ac Dauidis historia. Diu iam erat, cū Saul in peccatis suis perierat: Et regno sub Dauide omnib. bonis florente putabatur, Deum iam non amplius meminisse sceleris illius. At quid fit? Fames triennalis totam Iudæam premit diuinitus immissa. Quæritum est, quid ad illā ad-

Osee. 4.

1. Reg. 13.

1. Reg. 15.

Iosu. 9.

auertendam faciendum esset. Postulatur, vt Gabaonitis de iniuria ipsis illata satisfiat cæde septem filiorum Saulis. Ergo illos tradit Dauid mactandos, paratus etiam omnia sua amittere ad salutem suis redimēdam: Vtpote qui sciret, munus principis boni esse, vt nec mandatis Dei repugnet, detrectando iussa eius, neq; etiam pœnas miserorum in gaudium suum conuertat.

Qui fruitur pœna, ferus est, legumq; videtur
Vindictam præstare sibi: vt ait Claudianus)

Ille quidem promtus lubensq; iam pridem ignouerat Sauli filijs & amore ipsos complectebatur: Tum quoq; cum ista diuinitus poscerentur, meliora ipsis optasset. Ah quoties dixit cum suspirijs: Vellem vobis parci posse saluo diuino mandato. Sed magni Dei non detrectanda cuiquam iussa vetant, & vos ad pœnam exposcunt. Sic Dauid, quem cum alia docuerant parere mandatis Dei, tum illud ipsum, quod Sauli horum malorum caussa fuerat. Ergo illos tradit mactandos, & vindictam hanc ita exercet, vt ipsius officium requirebat: quod esse sciebat non affectib. suis duci aut indulgere, non sibi & suis consulere, sed noctes atq; dies etiam per durissimos labores ac pericula & cum vitę quoq; discrimine ea sedulo persequi, quibus prouideatur subditis. Hoc olim in suæ ipsius pueritiæ historia sub imagine quadam didicerat, quando pro gregis sui incolumitate cum leonibus & vrsis fuerat congressus. Vnde iam tum didicerat, principes ob id in eminentia constitutos esse, vt populo Dei ea prospiciant, atq; procurent, quæ ad pietatem erga Deum, & honestæ vitæ commoditates conferant, pertineant, valeant: Sintq; legum sanctarum curatores, assertores ac vindices, & patres ac pastores populorum: & in improbos acres se præbeant, innocentes ab improborum audacia defendant, deniq; qui omnia Reip. membra prima, postrema, summa, infimaq; in pace, concordia, tranquillitate & securitate continere atq; conseruare studeant.

XLII.

DIGNITATIS OBSERVATIO.

2. Reg. 21.

DAVID honeſte ſepelit oſſa ac reliquias Saulis & Ionathæ vna cum cadauerib. ſeptem filiorum Saulis, regia magna minitate omnium offenſarum memoria depoſita.

Poſcunt iura modum: clari hæ ſunt principis artes,
Noſcere quid leges, quid moneat pietas.
Crimina ſupplicio ſatis eſt expleſſe nocentes,
Seu ſua, ſeu patres quæ meruere luant.

EX-

EXPLICATIO.

Etiam iustis odijs suus est modus, vltra quem illa exire & progredi nefas est. Modus is est, vt vitijs quidem & turpitudini irascaris, eaq; tuo loco corripias, coerceas, cohibeas sedulo. His debetur insectatio, pœna, animaduersio, & ea quidē in personam vitio pollutā expromta. Ac sæpe acrem ac publicam quoq; hanc esse oportet. Verum ita tamē semper moderanda res est, vt vitiorum odio, non hominum caussa, iustitiæ rationem habentes, non affectui nostro indulgentes, id quod facimus, facere videamur. Recte enim hoc præcepit Seneca: Cum hominibus pacem, cum vitijs bellum habendum esse. Itaq; hominem ob facinus aliquod plexum etiam post mortem prosequi ira, maledicendo, detestando, criminandoq; ipsum, & quibus possis rebus ostendendo cupiditatem ei nocendi, res est tetra & odiosa, atq; a virtute & pietate alienissima: Contra vere heroica magnoq; principe dignissima vox est ista:

Nullum cum victis certamen & atherе cassis.

Homerus inquit: ἐχ ὅσιη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν ἐυχετάασθαι.
Hoc est: *Occiso insultare haud est iactantia sancta.* Et inter Solonis leges vna fuit: τὰς τεθνηκόσας μὴ κακῶς ἀγορεύειν. Id est, De mortuis ne male loquitor. Si hoc Ethnici sapientes vetuerunt, quanto magis aliena res esse debet a pietate Christiana. Est enim extrema vituperatione digna rabies eorum, qui etiam mortuorum cadauera afficiunt contumelia odio suo indulgentes: vere hyænæ, quæ etiam sepulcra effodunt, nec sinunt ossa defunctorum conquiescere. Sicut Græci Hectoris cadauer sagittis configebant: (de quo tales exstant versiculi in Anthologia κατ' ἤθοποιίαν facti:

Βάλλετε νυῶ μετὰ πότμον ἐμὸν δέμας, ὅτλι καὶ αὐτοὶ
Νεκρῷ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζεσι λαγωοὶ.)

Sicut etiam Tydeus hostis sui Menalippi caput resectum pertundit, & cerebrum illius per iram atq; odium exsorbet. Hoc vltra irarum humanarum modum sæuire est apud Liuium. Summa, pœnis & castigationib. ex prauis meliores facere studeamus, exemplo Dei, qui opus quod ipsi alienum est, exercet, vt quod suum est, exercere possit: hoc est, ideo mala immittit, vt bona dare possit. Proinde post sumtum supplicium non est amplius scueritati locus: sed si in vitam restituī posset is, qui plexus est, omni esset humanitate prosequendus.

XLIII.

GLORIA INSIDIOSA.

2. Reg. 24.

DAVIDEM cum iam in pace regnum haberet florentissimum, omnibus tam externis quam domesticis hostibus compressis cupido inuasit ad metiendas imperij sui vires populum censere: quare grauissime Deum offendit, cum regni sui potentiam ac robur ex hominum multitudine potius quam ex diuina præsentia ac protectione & tutela æstimaret.

Non bene miscentur, pietas, humanaq; rerum
Auxilia: hac dispar ius ratioq; fouet.
Auctorem certum refert nouisse bonorum;
Laudis riualem non feret vlq; Deum.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Gloria vera bonisq; mentibus dignissima est, quæ Deus mandauit, hæc sancte agere: hoc est, I. Finem laborum ante oculos semper habere eum, quem vocatio legitima monstrat. II. Strenue in illo quærendo obtinendoq; laborare. III. Strenuitate sua non confidere, sed ad Deum referre ab eoq; exspectare euentus felices. IV. In Sparta sua ornanda semper procedere, & plus vltra tendere: non defatigari, non cessare, quasi re confecta. V. Deniq; non concipere ambitiose altiora ijs quæ mandata sunt; sed modeste se intra metas suas continere. Hoc verbis breue est præceptum, at magnum atq; difficile in experiendo, & in hominum vita valde rarum. Nihil iam dico de ijs, qui audiunt quidem, sed auditis nō parent: Quod genus hoc æuo multo maximum est vbiq; locorum: de illis inquam hominibus, qui quotidianis de officio admonitionibus otiose admissis vel etiam prætermissis, ad omnem pietatis religionisq; curam ex animis suis tollendam delendamq; deueniunt: qui sine reuerentia audiendo res sanctas in eum locum deducuntur, vt pietatis violatæ & officij proditi ipsos nec pigeat nec pœniteat: qui omnem horrorem vitij & rerum officio contrariarum depellunt, consuetudine peruulgata admittēdi in animos res sanctas sine dignatione. Sed his (vt dixi) omissis, de melioribus agamus. In his etiam paucissimos videas, qui non aut gloria & successibus suis efferantur ad ea, quæ non oportebat, tentanda: aut etiam ita acquiescant in parta laude, vt dextram suam osculentur, id est, sese ac suam industriam ac virtutem admirentur, successus rerum suarum adscribant sibi, suæ prudentiæ, virtuti, laboribus. Sic aliquis cum est ei regnum mediocriter florens, infatuatus ea re monarchiam concipit animo suo, fines suos in immensum proferre (vsq; ad Oceanum aut Gangem, vsq; in Indiam) contemta mediocri fortuna, ignarus quantum præstet tuta quies quam orbis totius dominatus. Rursum alius suo reti sacrificat, id est, suæ sagacitati, acceptam fert eam quam assecutus est felicitatem. Neq; imperitioribus tantum hæc accidunt & minus cautis; sed etiam qui adultus maximeq; sapientia instructus, tamen aut nimis alta aggreditur aut nimium sibi placet: adeoq; ne sapientes quidem omnes prauos affectus exuere possunt. Gloriæ quidem siniſtra cupiditas id vitium est, quod vltimum ab ipsis deponitur.

Te quoq; o Dauid, licet alioquin optimum regem, hæc labes corripuit. Iam circum circa domueras gentes immanitate barbaras, rebelles, & Dei populo infestas. Sceptra tua grata erant cum tuo populo, tũ vicinis gentibus: Omnes te regem optabant, amabant: Pax alma ligabat populos dulcibus vinculis: procul aberat bellum: Sedebat vir sub ficu sua, & sub vinea. Hic vero rex talis, quem nulla aduersa fatigarant, nullæ vnquam ærumnæ fregerant, aut ad officium violandum impulerant, corrumpitur secundarum rerum continuo cursu. Nempe incessit ipsius animo cupido numerandi populum, vt sciret, quantum haberet virium in suo regno, vtque si quid forte bellici motus denuo exsisteret, expeditior ipsi esset defensionis ratio. Displicebat hoc Ioabo & sapientibus consiliarijs, vt qui intelligerent consilium hoc oriri ex causa non probanda: nempe ex elatione animi, comparantis potentiam suam ad alios ipso minores, cum quo coniuncta esse solet impia fiducia sui, & aliorum despicientia. Sed quod rex imperat, id exsequendum est etiam inuitis consiliarijs. Quid fit? vix dum retulerant ad Regẽ de populi numero, ecce diuinitus cietur cor eius, vt expẽdat secũ facti sui stultitiã: lã illũ pœnitet lã factũ nollet: Iam irritum atq; infectum reddi, quod erat factum. At frustra hoc tum optat, quod antea re integra fuerat cauendum. Ab hoc exemplo discat quisq; a Deo pendere non ab reb. mundi fluxis atque caducis. Neq; in rebus secundis a Deo reflexam mentem ad sese eamue, quam ipsi suppetit copiam, retorqueat: quando hæc omnia nihil opis præstare possunt cum ab illorum datore discessum est: Secundum illud Syracidæ: Peccati seu superbiæ initium est, cum homo recedit a Deo, & vbi cor ipsius desciuerit a creatore suo.

SPECIMEN CARMINIS DE EODEM ARGVmento, a M. Bergio propositum discipulis ad imitandum.

Gloria summa pijs simul & dignissima laus est,
Efficere hæc sancte, quæ iubet ipse Deus.
Hæc sunt, Mandati metam spectare laboris,
Et quibus hanc medijs rite tenere queas.
Vtq; adeo obtineas totis incumbere neruis,
Et curæ ac studij nil reliquum facere.

Nec

Nec tamen ingenio proprio confidere; verum
A Domino euentus expetere vsq; bonos:
Commissam studio Spartam exornare fideli,
Atq; operi semper sedulum adesse suo:
Vsq; laborando ac nitendo longius ire:
(Vel: *Gnauiter in cœptis pertendere; longius ire,*)
Nec cœptam fracta linquere mente viam:
Deniq; turgenti minime se tollere fastu,
Nec maiora suis viribus appetere:
In propria verum bene pelle quiescere, iustis
Officij spatijs seq; tenere sui.
Sunt præcepta quidem dictu ista facillima; verum
Durius est illis experiundo nihil.
Iam genus hoc hominum taceo, quod combibit aure
Illa, sed auditus denegat obsequium.
Hos inquam taceo, qui dum sacra more prophano
Tractant, & spurcis auribus excipiunt,
Horrorem infandi depellunt criminis omnem,
Nec iura officij vertere cuncta timent.
Quod genus his annis ita se diffundit vt imbris,
Vix numerum illius vincere gutta queat.
Verum his omissis, oculos vertamus ad illos,
Censere in numero quos meliore licet.
Ex his perpaucos videas quoq; gloria quos non
Auersos rectis ad fugienda trahat:
Vel sic in parta quos laude quiescere cernas,
Vt manibus figant oscula stulta suis:
Et propria stulte fœtentes in imagine dextra,
Viribus, ingenio sacrificentq; suo.
Sic aliquis princeps regno & cumulatus honore,
Imperium florens cum videt ire suum,
Illico magna petit maioraq; viribus audet,
Affectatq; orbis totius esse Deus:
(Vel: *Et mundi princeps totius esse parat:*)
Vsq; & ad Oceanum sua sceptra extendere vtrumq;,
Se supraq; omnes amplificare studet:

Indocilis placide rebus mediocribus vti,
Nescius & quam sit res pretiosa quies.
Est alius rursum proprijs qui viribus effrons
Imputat, euentu si qua fauente gerit:
Ille adeo propriæ statuens altaria nassæ,
Accepta ingenio cuncta ferens q3 suo.
Eloquar an sileam? culpa hæc etiam implicat illos
In turba famam qui meliore gerunt.
Verus erat nimium, qui dixerat: Et sapientum
Affectus prauos ponere nemo solet.
Omne adeo vitium vt tandem illos deserat, ardor
Famæ vix vetulos deseruisse solet.
Scilicet ambitio & laudis famæq3 cupido
Longam etiam eximijs hæret in ingenijs,
Tu quoq3 Ießiade simili (e heu) peßte laboras,
Inuasit q3 animum hæc dira cupido tuum.
Iam bello domitis hostilibus vnd: q3 turbis,
Gratus eras populis, sceptraq3 grata tua.
Quin etiam externæ gentes te dicere regem
Gaudent atq3 tui semper amore flagrant.
(Vel: *Vndiq3 iam plebes dederat tibi colla superba,*
Imperij clemens ferre parata iugum.)
Dulcia florebant iucundæ munera pacis,
Sopitum fuerat iam graue Martis opus:
Agricola incuruus findebat vomere terram,
Et pecus in pingui luxuriabat agro:
Securus q3 locans placido sua membra sopore
Ipse quiescebat dux gregis inter oues:
Et patulæ ficus residebat quisq3 sub vmbra,
Gaudijs propria e vite botros legere.
Hic (heu) Ießiade, quem nulla subegerat ante
Sors dura, ad vetitum compulerat ue nefas,
Dirè gnata malis cui mens succumbere, latum
Nec digitum officij munera destituit.
Felici post quam tam res tibi cardine cedunt,
Frangeris & contra iusq3 piumq3 ruis.

Scilicet

Scilicet imperij vires iam noſſe laboras,
Et numerare tui fortia corda ſoli.
Nimirum ſi ſeditio fortaſſe reſurgat,
Hoſtibus opponas promtus vt arma tuis.
Diſplicet hic alys conatus; atq; loabe
Offenduntregis non pia tuſſa tui,
Scilicet haud ignarus eras proficiſcier illud
Ex nimium elato pectore conſilium:
Vnde eſt contemtus, gnala deſpicientia faſtus.
Et fretum ſtulte viribus eſſe ſuis.
Verum & difficile eſt, nec in aulis more receptum,
Seruus vt id nolit, quod voluit dominus.
Ergo nulla mora eſt: vincit ſententia regis:
Euentum captunt nec bona tuſſa ſuum.
Cetera vis dicam? Quam primum ad Dauida cuncti
Seruiades populi nomina ſcripta refert,
Iſaidæ (res mira) animum ſubit anxius angor,
Dum ſeſe vultus excutit ante Dei.
Iamq; dolens cernit commiſſa piacula, iamq;
Pœnitet, & ſeſe clamitat eſſe reum.
Iam nollet factum, modo quod mandarat: & inquit:
Infectum (ah) cuperem nunc opus eſſe meum.
Sed poſt rem factam nil proficientia vota
Fundit, qui monitus ſpreuerat ante pios.
Quisquis es, hinc diſcas Domino confidere: diſcas,
Ne proprijs audax viribus eſſe velis.
Et caue in affluxu ſpes figere velle bonorum,
Vt votis mundus militet ipſe tuis.
Hei mihi, tota hominem neſcit natura iuuare,
Gratia cui ſeſe ſubtrahit alma Dei.
(vel: *Neſcit opis natura homini præſtare vel hilum,*
Quando creatori hanc prætulit ille ſuo.
Peſtis & exitium hoc vno de fonte ſcaturit,
Quando eſt auſus homo deſeruiſſe Deum.

XLIIII.

HVMANAE GLORIAE EXAMEN.

2. Reg. 24. & 1. Paralip, 21.

DAVID post concitatam in se per fiduciam propriarum viriū Dei iram agnito peccato humiliat se Deo, & in pœnam diuinitus denuntiatam pia patientia consentit, atq; ita illius mitigationem impetrat.

Errores nouisse suos, errata fateri
Et fugere, optandi ianua prima boni est.
Proxima sed laus est, pœnæ haud præscribere finem;
Sed petijsse, modum figat vt ipse DEVS.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Sollicitant ad peccatum hæc omnia: Mundus, dæmon, caro, item paupertas, diuitiæ, sceptra, ligones, adeoq; in primis gloria, splendor, opes: ac rursum dedecus, ignominia, contemtus. Neq; est humanæ imbecillitatis semper cauere sibi in his: adeoq; vix etiam angelicæ perfectionis. Labuntur crebro vel optimi quiq;, ac grauissime impingunt. Porro vt malum est errare, ita contra sanctum est resipiscere: Eiusq; rei gratia Deus castigationem adhibet nobis, vt ad resipiscendum adducat. O felices, quibus hic via recta tenetur, ea, quam Dauid tenebat. Hunc Gadus vates Dei iussu arguit reum peccati, & pœnam diuinitus decretam denuntiat ipsi. Elige, (dicebat) quoniam datur optio, quanam sustineas plecti teq; tuumq; nefas. Aut trium adhuc annorum fames erit in terra tua, aut tribus ab hoste mensibus premeris, aut triduo pestis in populo tuo grassabitur. Ille nihil contra: sed inquit: Confiteor peccasse, Deum offendisse grauiter: neq; pœnam deprecor, sed huic me volens submitto. Melius est incidere in manus Domini castigantis, quam hominum, qui crudeles sunt, & offensi

Omnia mox cupiunt vna miscere ruina.
At Deus mitis est & multa misericordia.

Summe pater cum & nos meritis castigas pœnis, illud facis, quod res & ratio postulat. Sic meritum est nostrum. Ipse quoq; erratum fateor, neq; deprecor pœnam: Sed tu eam mihi confesso mitiges. Non præscribo tibi modum aut finem aut metam: Sed hoc tantum oro, vt in ira misericordiæ recorderis: & ipse modum ponas pro tua infinita bonitate & clementia: vt mitiges: deniq; vt exitum des illum, quo æterna salute beemur. *Exod. 34. Syrac. 2. Psal. 25. &*

Da Deus, exemplum hoc imitari vt rite queamus,
Si quando in lapsum nos caro nostra trahat.

EXPLICATIO.

Trium est hominum seruare prouerbium:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui. Sæpe etiam contra boni principes videntur ob malitiam populi cum fortuna indigna conflictari, & subditorum peccata luere. Ita quidem homines iudicant, cum vident ad cladem aliquam publicam a principibus non optimis ipsorum factis occasiones aliquas præberi. Dei vero iudicia longe alia sunt. Is in vtrisq; cernit ea, quæ pœnam mereantur: nec vnquam alteros horum propter alterorum peccata plectit, nisi ipsi quoq; suis delictis id sint promeriti. Noscant id vtriq; in talibus casibus, ac proinde secum expostulent, sese accusent, non in alium culpam reijciant, sese innocuos fingentes. Sic Dauid agebat in clade illa publica, cum tot passim millia mortalium peste caderent: vsq; eo mitis ac benignus erga suos, adeo amans suorum, vt non modo oraret ac sacrificaret pro ipsis, Deiq; fauorem & gratiam pro ipsorũ salute sollicite ambiret, sed optaret etiam animo vere regio suo ipsius interitu populi salutem redimere. Heu male sequitur hunc optimum regem, qui alijs præpositus ita pro suis vigilat, vt ipse eos egregie deglubat: qui propterea iniuriam ab ipsis prohibet, vt ipse tanto plus ad exercendam rapinam materiæ habeat: qui ita afficitur suorum malis, vt non ex puro fonte ille affectus profluat: denique; qui omnia prius patiatur ignibus misceri & sursum ac deorsum ferri, quam aliquid sui emolumenti sibi decedere patiatur. Tales non Dauidis illius optimi imitatores sunt, sed stulti Roboami: quibus sua pœna supra caput imminens astat. At tu, ô Dauid, memorandus nobis es: nulla ætas de tuis laudibus conticescet: qui populi malum tua ipsius clade atq; interitu cupis auertere.

SA-

XLVI.

SAPIENS SENECTVS.

2. Reg. 7. 1. Paral. 17. & 29.

DAVID opibus immensis auctus ad templum Domino exstruendum animum adijcit, ad eamq; rem sumtus magnos, omniaq; necessaria filio Salomoni comparat.

Diuitias & opes pietas lectissima in vsus
Vnica commendat cum petit ipsa suos,
Quis prudens mihi rex? qui prospicit vndiq; vt vnus
Sit cultus populis, imperiteq; Deus.

EXPLICATIO.

Quænam opulentia est laudabilis? Respondet Sappho: πλοῦτος ἀρετῇ κεκασμένος, Id est, opulentia virtute exornata. Sed qua virtute? Quæ iubet vt primum ad cultum Dei & veram religionem propagandam facultates conferantur: Deinde vt benefici ac liberales simus erga egentes. Ecce tibi huius exemplum egregium. Florebat omnibus bonis rebus regnum Dauidis: suppetebant omnib. necessaria, nec quisquam egebat. Hic vero Dauid quid facit? Non cumulat opes in immensum: non detrudit aurum in tenebras: sed & Deum datorem & auctorem (σωτῆρα ἐάων) in illis omnibus sancte agnoscit. (Vide sententias pulcerrimas 1. Paral. c. 29.) & ad illius cultum omnia referre cupit. Quis vere sapiens? Qui bona omnia quæ habet, ad pietatem colendam & promouendam refert: hoc agens, vt omnes homines communibus votis vnum Deum sancte colant: qui hoc studium omnibus rebus habet antiquius. Hoc vt rite tamen incipiatur, magna cura adhibenda est: nempe verbo & voluntate Dei sedulo consulta, ne quid, quamuis bono studio, incipiatur, quod Deus improbet, sicut Nathan facit præcipitis consilij feruore id approbans, de quo non norat voluntatem Dei.

Rite etiam inceptum constantia firmet oportet.

Id quoq; cum factum est, agnoscat suam indignitatem: omnia Deo adscribat: Inde sibi omnia accepta esse fateatur. Sic Dauid templi structuram susipit, primum consulto Deo: tum responso diuino acquiescendo: idq; constanter exsequendo. Quod dum agit, omnia necessaria ad tantum opus feliciter procurat.

Amplificari hæc possunt per distributionem eorum, quæ Dauidi offerebantur: alij opes, alij operas suas, alij alia conferebant certatim: omnis ætas, vterq; sexus, principes, plebeij: omnes inquam simili studio ardent tanti operis promouendi: propinqui cum longe remotis. nemo non ad tam diuinum opus pro virili adiuuandum absoluendumq; promtissime accurrit.

Stant patera, circum aurata, stant marmora, eburq;, &c.

Deniq; rex ipse consilio, ordine & hortatu suo disponit omnia, vt quam rectissime hoc opus ad finem optatum a filio perducatur. Beatus & qui opes tales possidet, & vero qui hac præditus est sententia! Sin autem ad hunc finem non omnia referuntur, tum vero & opes nihil nisi egestas sunt, & sapientia omnis nihil est nisi mera stultitia.

ADV-

XLVII.

ADVLATIO FALLAX.

3. Reg. 1. & 2.

DAVIDE senio confecto Adonias Absolomi frater, homo ad populum gratiosus, cum vanis adulantium vocibus, tum propriæ leuitatis stimulo permotus fratrem Salomonem regno depellere conatur, sed infelici euentu.

Tutius & melius cura sumtuq; minori
Complebis proprium constituesq; locum:
Consilium insipiens, duros vanosq; labores
Experiere, Deus te nisi promouerit.

EXPLICATIO.

Pestis acerba hominum vitæ & multis maximis ingenijs exitiale malũ est adulatio. (Cum flat quis adulator, abit pestis ab illo est, inquit Iul. Cæs. Scaliger.) Hæc duplex esse deprehenditur: Vna qua nobismet ipsis imponimus ipsi, nos admirantes, & magna de nobis præsumentes, inq; cogitatione de nostra excellentia diesq; noctesq; versantes. Altera est alienæ leuitatis, quæ cum priore se coniungit: veluti cum cadauere vultures & aquilæ. Vtraq; hæc pestis efficit, vt feroces reddiți, inq; pelle propria quiescere negantes moueant homines ea, quę ipsis auctorib. suis sint exitio, dum consilijs inquietis salutem suam sibimet ipsis eripiunt. Adonias exemplum est eorum quæ dico. Videbat is patrem propediem defunctum regno id alij traditurum esse. Norat vero, Salomoni fratri, non sibi, illud destinatum. Eo tamen non obstante ipse per tumultum propria libidine sine vocatione regnum inuadit & rapit: Idq; etiam Ioabo & Abiathare (cum quibus conspirationem inierat) impulsoribus. Idq; agit ita, vt splendoris regij magnificentia ostentata, & alio lenocinio, quo vulgus capitur, adhibito, subditorum animos ad se allicere studeat: frustra quidem ille satagens, & nihil nisi perniciem sibi accelerans. Mox enim Nathanis prophetæ opera dissipato ipsius consilio Salomon rex a Dauide constituitur, vnctus a Sacerdote, & a pop. salutatus, inq; regali solio patre spectante collocatus. Adonia interim in extremas angustias coniecto, ac primum quidem veniam impetrante a Salomone: veruntamen posterius cum iterum ad ingenium rediens caussas regni inuadendi denuo quæreret, cum complicibus suis interfecto. Stulte Adonia, quanto melius poteras regno carere, & priuatum vitæ genus sequi,

Priuataq; toga modicum componere ciuem,
In tenuesq; humilem poteras te colligere vmbras:

Quanto hoc tutius erat futurum, & quanto magis salutare.

Quicunq; quæris viuere commode,
Cariśque amicis vtilis & tibi,
Ictusque fortunæ cauere
Et subitos variosque casus:
Hæc dicta mandes sensibus intimis:
Summam hanc mearum mente tua tene.

Senten-

Sententiarum, quas tibi edo
Ditibus e Sophiæ theatris.

Omnis felicitas in gubernatione politica & Oeconomica est a Deo: Et omnis humanus labor, omnis conatus inanis atq; irridendus est, nisi adiuuetur & promoueatur diuinitus. Patrem familias aliquem mihi vide, qui a Deo inter generis medij homines constitutus, suo consilio ad summos contendit. Hic solicitus & satagens rerum suarum non exspectat solis ortum, sed mane ante auroram surgit. Vespere sero cubitum it. Interdiu exercetur, maceratur, cruciatur, frangitur, labore, cura, opere continuo & difficili: nec vitæ suæ cibum aut quietem indulgens: deniq; omnes neruos contendens ad perficiendum id, quod sibi proposuit. Quid vero talis proficit, Domino eius laborem non fortunante? quid illo est miserius? quid opera ipsius omni vanius aut infelicius? Contra aspicito mihi aliquem, qui diuinitus iuuatur: Id est, qui vocationem suam sedulo sequens Deo se committit, & ipsius fiducia confirmatus agit necessaria, curis infelicibus prætermissis. Talis nullo pene negotio sibi alijsq; vtilia cum suscipit tum perficit atq; absoluit tranquille, animo laboris, curæ, solicitudinis & metus vacuo: Felix est labor ipsius, & successus, atq; euentum bonum comites habet. Eiusmodi sunt heroici viri, a Deo excitati ad res magnas gerendas, quorum res & consilia diuinitus gubernantur & adiuuantur. Hi vere sunt similes sagittis valida manu contortis, & omnia obuia sternentibus, nec in vllas res frustra irruentibus, nihil frustra ferientibus. Beatæ sunt Ecclesiæ & respublicæ, quæ tales habent gubernatores, quorum non modo est excellens dignitas & virtus, sed felicitas etiam eximia, ita vt vbiq; aliquid egregium efficiant.

XLVIII.

PIETATIS DEFVNCTIO.

3. Reg. 2. 1. Paral. 29.

DAVID decurso vitæ spatio, regio magistratu ita gesto, vt & politicis commodis populo prospectum esset, & vero vt pura floreret religio, Salomonem filium ad eadem studia hortatus, placide pieq; moritur.

Munere susceptam bene rem gessisse beatum est;
Laudandam & Superis ædificasse domum.
Sed numeros implet cunctos, cui contigit heres
Et studij compos patrij, & officij.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Bene ac sapienter monuit Solon, neminem beatum esse dicendum ante vitam bene beateq; exactam & finitam. Eamq; sententiam & Sophocles & Euripides & Ouidius versibus suis celebrarunt.) Hoc si cui contigit, is vere beatus dici potest: Hoc si cui negatur, is vero etsi laute vixit, etsi omnium vocibus celebratus est, deniq; etsi quasi Deus quidam inter mortales habitus fuit, infelix tamen est. Quo vero id modo consequimur? Si post hanc miseram vitam ad alteram veram vitam, viam certam inuenerimus. Quænam vero illa via est? Intueri in Christum Domini: In eum credere, qui factus est salutare cunctis gentibus: Illum sese in verbo nobis offerentem, donantem, exhibentem amplecti, fide in ipsum nos reijciendo, & ipsi veluti alligando animulas nostras: Sic, vt in ipsius manum nos tradamus, committamus, concludamus, idq; ipsi viuentes, ipsi morientes, inq; ipso Dei beneuolentiam, resurrectionem & vitam nobis certo pollicentes. Ita affectus, ita animatus, dicere potest dum viuit. Hæc vita mihi exsilium est patriæ melioris, ergastulum est, carcer est: in quo varijs modis crucior: nunc æstuo, nunc algeo: nunc luctu, inopia, esuritione, vastitate afficior: nunc alijs malis exterreor, & tanquam in putris ac ruinosi domicilij hospitio nihil habeo fidum, nihil amicum, nihil tutum. Deniq;

τίς οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν τόδ' ἔστι κατθανεῖν;

Id est:

Quis nouit, hæc an vita mors sit verius?

Dicere potest: Cur dubitem hinc soluere? cur dubitem optare missionem ad loca sperata perpetuæ quietis? ἔνθα ἐυφραινομένων πάντων ἔστιν ἡ κατοικία, vt ex Psalmo ait Nazianzenus. Dicere potest: Quandocunq; voles, ô Deus, me accersere e statione mea tãquam militem emeritum & rude donandũ, paratus sum. Postremo talis etiam ipsa in morte vitam inueniet: Cum ad inferos detrudi videbitur, paradisum sibi apertum esse experietur: cum omne decus humanum labetur ac soluetur, vigore & calore corporis natiuo consumto, & morte per omnes artus obrepente, verum decorem demum adipiscetur, qui nunquam defloresceat aut depereat. Talis beatitatis compos fuit Dauid: vt & ille canicie sacra venerandus Simeon Christi pueri in templo susceptor & præco. Dicebat hic exsultans animo: Iam libenter & feliciter moriar,

quia Christum Domini, lumen illud quod parauit Dominus ad illustrandos omnes populos, maxime eos, qui ipsum recipiunt & ad ipsum se aggregant, illud inquam lumen videre mihi datum est: nec tantum animi oculis, quod mihi cum pluribus commune est, sed etiam corporis hisce iam caligantibus oculis vidi. Ita Simeon. Dauid vero etiam alterum insuper felicitatis specimen præbet. Cuiusnam illius? Quod ita moriens in fiducia mediatoris illius diuinitus ipsi promissi, & ex semine eius nascituri, etiam de hoc altero in vltimis suis lætari potest, quod huius Redemtoris cognitionem alijs quoq; multis tradiderit, atq; ita domui Dei, (quæ est domus in æternum mansura, firmissima in petra fundata,) materiam præparârit: Adhæc, quod filium quoq; reliquit, vt regni paterni, sic gloriæ quoq; & studiorum eorundem hæredem, diuinum illum Salomonem, cuius fama sapientiæ omnem terrarum orbem adimpleuit, nullum habitura parem vel secundum. Hoc porro posterius bonum, nempe hæredem habere imitatorẽ atq; æmulum optimorum & rectissimorum studiorum, illi summo heroi, peculiariter Deo caro, tributum est, cum alijs de caussis, tum ideo quoque, quod summa mysteria Deus in ipsius historia proponere, pingere, adumbrare voluit: Quorum non postremum est hoc, quod duplex ista gubernatio (vna Dauidis, laboriosa, inquieta, varijs casibus ac periculis perpetuo exercita: Altera Salomonis, pace quadam altissima iucundissimaq; perpetuata) typus ac symbolum esse debuit omnibus posteris duplicis vitæ: vnius quæ omnibus Adami posteris in hoc mundo simili conditione ducitur, vbi per multa difficilia & aspera ad portum contenditur lætissimum: Altera est hic ipse portus, immortalitas beata cum Deo. Quarum duarum vitarum prior Dauidis regno laboribus multis exercito signatur: Posterior Salomonis regno pacato vsq; quaq; & omnibus modis florente repræsentatur. His rebus arcane atq; in sacramẽto significandis duos illos reges Deus elegerat, & ob id Dauidi patri talem filium & successorem dedit. At hoc personale priuilegium non facit legem generalem, neq; necesse est, vt in omnibus hæc duo copulentur. Alioqui nemo ex illis sanctis beatus dicendus esset, qui vel nullam sobolem reliquerunt, vel parum piam reliquerunt. Posterius ergo hoc proprium est Dauidis, regno scilicet beneg. sto h. redem dare filium, etiam melius ac præclarius illud constituentem. Personale inquam & priuatum hoc est, nobis singulis nec pro-

g. 13.

promissum, nec proinde sperandum. Alterum vero, de quo prius dicebatur, omnium esse debet, nempe studium & cura agnoscendi viam salutis in Christo omnibus aptam, & pro suæ vocationis modo amittendi, vt quam plurimi ea via insistant. De hoc studio ita est statuendum, vt qui in eo vita fungitur, de eo merito vsurpetur illud : *Omnia tum bona sunt, clausula quando bona est.* In eo studio qui vitam concludit, is veram εὐθανασίαν consecutus est : Is cum sancto Iobe dicere potest: Iob. 19.
Scio quod Redemtor meus viuit, &c.

Credo nihil dubitans, te viuere magne Redemtor,
Qui mea de putri membra leuabis humo.
Cum mea me pellis rursum præcinget, & ipsum
Te mea in hac coram carne videbo Deum.
Cum nactus nullo moriturum tempore corpus,
In pura verum carne videbo Deum.
Illum ego sum visurus; in hoc mea lumina figam:
Illius intuitu lætus ouansq; fruar.
His oculis, his inquam oculis per secula cuncta
Vnius aspiciam numina magna Dei.

ALIA PARAPHRASIS.
Ex Prudentio.

Credo equidem (nec vana fides) hunc viuere, qui me
Ipse sua est pretio mortis mercatus Iesus:
Credo inquam, mea membra, solo reparanda, meumq;
Hac in carne Deum me visurum, illa vbi mundo
Deficiente dies aderit, noua Sabbata quando
Æternus Genitor post hæc mala tempora condet.
Tum mihi restituar: vultus, vigor, & color idem,
Qui modo viuit, erit: nec me, vel dente, vel vngue
Fraudatum remouet patefacti fossa sepulcri.
Pellite proinde metum, mea membra, & credite, vosmet
Cum Christo rediturа Deo. Nam vos gerit ille,
Et si cum rouocat, morbos ridete minacis:
Inflicti casus contemnite, tetra sepulcra
Despuite: exsurgens quo Christus transiit, itis.

pARAPHRASIS CANTICI SIMEONIS.

Luc. 2. Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.

Auctore M. Bergio.

Quandocunq; volcs, Pater ô æterne, ministrum
De statione mea me reuocato tuum.
Ibo volens, ibo quo tu, Sanctissime, ducis,
Nec mihi spes animo deficiente cadet:
Spes verbo concepta tuo, quæ tristia vitæ
Omnia adhuc solita est vna leuare meæ.
Hac ego nunc etiam plenus, te robora dante,
Quando voles, ad te pergere promtus ero.
Vixi, & quem dederas pro nostro crimine morti
Christum, animo semper cura tenere fuit.
Pacis in hoc, mundo quæ sancis fœdera, toto
Pectore me statuo conciliare tibi.
Huius amor, pietas, pretium, dilectio, merces
Sunt ea, qua vitæ præmia habere volo.
Ipse quidem merui peccati labe grauatus,
Confundi vultus, ô Pater, ante tuos:
Ille tamen quando meus est, tibi credo probari
Hoc pretio, per se quod placuisse nequit.
Nec iam magna mei sub terras ibit imago,
Vt quos cum fremitu vita relicta fugit:
Sed gremioq; tuo susceptam manuq; fideli
Euadet laqueos & necis & Satanæ.
Corpus humo tectum grani requiescet ad instar,
Vnde noua in fruges surget arista novas:
Dum, tuba quando tuos suprema luce sepultos
Eliciet, vita me meliore bees.

Harum

Harum Explicationum seu mauis Meditationum auctor MATTHIAS BERGIVS Brunsuuic. εὐθανασίαν, quam in postrema harum μελετῶν graphice adeo descripsit, Dei beneficio consecutus est Altorphij die XXII. Augusti Anno M. D. XCII. Post mortem eius repertum est in libro quodam eius manu descriptum Epitaphium, quod sibi mortuo ab heredibus poni voluit. Id hoc loco etiam adscribere non alienum duximus.

Bergius hic situs est, vocemq; in puluere Christi
Exspectat: viuum qui sibi restituet.
Summa boni viuo Christo se credere: vultumq;
Illius aternum cernere functus auet.

COROLLARIVM PRIMVM.

PARAPHRASIS PRECVM SALOMONIS

Prouerb. 30. eodem M. Bergio auctore, quæ & ipsa digna hic adscribi nobis visa est.

SVnt duo, præcipue quæ te rogo, quæq; roganda
Te, Pater, in vita dum retinebor, erunt:
Ne super his, ne quæso velis me fundere vota
Irrita; sed facili numine vtrumq; dato.
Nil mendax nostris, nil vanum in moribus insit:
Absit ab ingenio frausq; dolusq; meo.
Nec peto, quas hominum leuitas dirusq; cupido
Immodico affectu sæpe petiuit, opes.
Sed neq; paupertas inopem me dira molestet:
Paupertas homini durum onus atq; graue.
Luxuriare solent rebus plerumq; secundis
Pectora quæq; rapit praua libido sequi:
At quem paupertas vrget malesuada premitq;,
Quæ prohibet pietas, plurima sæpe facit.
Me quoq; communi prognatum lege, vel illæ
Ducere damnato calle vel ista queat.
Nil itaq; vlterius peto, quam quod sufficit, hic dum
Naturæ ad leges hæc mihi vita fluit.
Hîc vbi diuitijs fuero te dante potitus,
Tunc ego nec Cræso ditior esse velim.

COROL-

COROLLARIVM ALTERVM.

HYMNVS IN SALOMONEM DAVIDIS FILIVM & in regno succeſſorem.

Quos vel priſca tulit, vel poſtera adhuc feret ætas
Rectores terræ & populorum,
Diuitijsq́, opibuſq́ animi, ſenſuq́, ſagaci,
Tu Salomon præceſſeris vnus.
Seu populo dare iura iuuet, ſeu dia ſonare
Virtutis præcepta petendæ;
Siue velis animo immenſum penetrare per orbem,
Ingenio & numerare diſerto
Naturæ variata modis ſpectacula miris,
Quæ vaſto radiantia cœlo
Aſtra ſedent, vel quæ duplici ſpatiatur in vndæ
Bellua vix numeranda: vel ipſa
Quæ profert paſtim, & quibus exhibet omnia tellus,
Cuncta tibi ceſſere petenti.
Obſtupuit peregrina tuas vt inaudijt artes
Gens actus non indiga ſenſus.
Victa tuo ſiluere orbis miracula templo,
Quondam omnes celebrata per oras.
Quà patet Oceanus, gentes tua carmina diſcunt,
Et recinunt iuueneſq́, ſeneſq́,
Æterniq́ Dei nomen laudeſq́ perennes
Sperandæ & monumenta ſalutis,
Cetera & arcanis quæ te meditante figuris
Obſtupuit Libanusq́ Sionq́.
Hei mihi, quod canis male degenerantibus illæ
Admittis quæ turpia dictu.
Siue tamen poſt es rurſum ad meliora reuerſus,
Siue ita porro vita peracta eſt:
Exemplum ipſe facis verbi, quo vana ferebas
Cuncta, Dei timor vnde receſſit.

PARAPHRASIS SVPERIORIS HYMNI, QVEM ex Salutis Humanæ monumentis Benedicti Ariæ Montani desumtum paucis locis interpolauit Matthias Bergius, & discipulis ad imitandum in exercitio styli proposuit.

NVLLVS omnium regum, quotquot vnquam exstiterunt aut futuri sunt, tecum ô Salomon comparari potest opibus, ingenio, virtute, sapientia. Nam tibi regnum omnibus rebus ornatissimum a patre datum est, florens dulci pace, heroibus inclytis, diuitijs etiam & ceteris rebus. Etenim Deus omnia circa te pacarat, vt doctrina & cetera opera pacis, quæ bellis turbari oportet: sub te excolerentur. O quam feliciter proficiebas adolescens, orans a Deo non opes, non copias, non cetera quæ alii mortales admirantur, sed sapientiam. Tibi cuncta patuerunt, siue iudicium exerceres, siue doctor esses tui populi, siue explicares obscuritatem naturæ vniuersæ rerum, quæ vel sursum in aëre & in cœlo, vel in terra vel in aqua exsistunt. Tu omnia implebas sapientia doctrinæ tuæ. Obstupuerunt ad famam sapientiæ & felicitatis tuæ gentes remotissimæ Æthiopum, Arabum, Ægyptiorum. Amauit & coluit te omni obsequio cum exterus omnis, tum præcipue gens tua, quam cum alijs rebus exornasti, tum templo augustissimo, præ quo sileantur & obscurentur orbis miracula. Finitimi reges miserunt tibi sua munera, & didicerunt ex te sapientiam veram, æterni Dei cultum & laudes, simulq; arcanum ingens populo venturo seruatum. Nam quid diuitias opesq; tuas prædicem, quibus omnes reges vicisti? Felix futurus, nisi te illecebris muliebribus subactum cupiditates & affectus in vetitum abstulissent, turpissima tuo clarissimo nomini aspersa macula. Vnde tristes etiam pœnæ secutæ sunt. Siue autem resipuisti in his pœnis (quod pie creditur) siue minus, exemplum ipse præbes sapientissimi & verissimi dicti tui: Omnia vana, quæ Dei timore vacant.

FINIS.